Nonnumquam accidit, etsi perquam raro, ut senes, qui diu hoc morbo antea laborarunt, ac interea venaesectionibus et catharticis imperite fuerint mulctati, in diabetem incidant, etiam febre jam perfecte fugata. Etenim cum sanguis eorum abhinc debilitatus, assimilandis succis ei inlatis prorsus impar reddatur, iidem per vias urinarias crudi adhuc et inconcocti exitum sibi quaerunt; proindeque prae ingenti urinae copia, quoties eam reddunt, excreta, sensim vires labefactantur, et quasi substantia corporis per hanc cloacam exinanitur. In hoc adfectu, uti et in omni diabete, ex quacumque προφάσει originem ducat, curativae indicationes ad sanguinem invigorandum, corroborandumque, ac pariter ad fluxum urinae praeternaturalem restringendum, omnino dirigendae sunt. Ut Rec. Theriac. Androm. unc. un. sem. Conserv. flaved. Aurant. unc. un. Diascordii unc. sem. Zinzib. condit. et Nuc. moschat. condit. aa. drachm. tres, Pulv. e chelis Cancr. compos. drachm. un. sem. Cort. exterioris Granator. Rad. Angelic. hispan. Corall. rubr. praep. et Trochisc. de terra Lemnia aa. drachm. un. Boli Arm. scrup. duos, Gumm. ar. drachm. sem. cum s. q. syr. de Ros. siccis F. Electuar. de quo sumat ad magnitudinem nuc. mosch. maj. mane, hora quinta pomeridiana et nocte, per mensem integrum, superbibendo sequ. Infusionis cochl. vj. Rec. Rad. Enul. Campan. Imperator. Angelic. et Gentian. aa. unc. sem. fol. Absinth. rom. Marrub. alb. Centaur. min. et Calaminth. aa. m. un. Baccar. Juniper. unc. un. Incidantur minutim, et infundantur Vini Canarini libr. v. stent simul in infusione frigida. Coletur tantummodo tempore usus. Vescatur cibis εὐπέπτοις, viz. carne vitulina, vervecina, etc. Abstineat ab esu olerum, et fructuum qualiumcumque, et singulis pastubus bibat vinum hispanicum.

Eadem fere methodo atque iisdem remediis contumax iste et diuturnus adfectus, fluor sc. mulie-

bris, sanatur ac diabetes modo dictus: nam utrobique indicationes curativae eaedem sunt, quantumcumque inter se hi duo morbi dissidere videantur. At in fluoris muliebris curatione venaesectio semel celebrata, ac postea catharsis ex Pil. Coch. maj. scrup. duobus tribus vicibus repetita, corroborantium usui praemitti debent: deinde vero per totum processum omnino omittendae; cum quaelibet evacuatio evertit, quidquid corroborans substruxerit. Sed haec obiter.

Haec habui de peruviani corticis usu summatim dicenda: neque enim remediorum pompae libuit indulgere; cum sane, qui aliquid cortici adjiciunt, praeter vehiculum, eidem in ventriculum transmittendo necessarium, aut ex ignorantia peccant, ut mihi videtur, aut dolo malo, a quo vir probus ex animo abhorrebit, qui cum pars sit ejusdem communis naturae, ut ὁμοφύλοις fraudem faciat, nullo umquam privato suo commodo poterit adduci. Quod superest, si aetati placuisset ad ea animum advertere, quae annis abhinc quatuor in historia acutorum morborum tradideram (quae et ante illud tempus mihi innotuisse omnino est credibile), quo pacto sc. cortex in interjectis paroxysmorum spatiis debuerit ministrari, tum postea repeti aegro jam convalescente, viverent fortassis haud pauci eorum, quos jam terra tegit; utut homines vilipendant tenues sane illos conatus nostros, communi omnium bono dicatos, et monita spreverint ibidem dictata quibus ea breviter continentur, quae hic fusius explicare visum est. Morb. acut. Hist. Sect. I. Cap. V. p. 73.

Quantumlibet autem cortex supra laudatus in febribus hisce medendis omnibus aliis, quotquot adhuc inventa fuerunt, palmam facile praeripiat, attamen in tertianis vernalibus, si modo aeger sanguineo temperamento praeditus esset, atque etiam aetate floreret, remedia sequentia curationem absolvisse observavi. Ex. gr. mittatur sanguis e brachio die a paroxysmo libero, et post aliquot horas eodem die exhibeatur emeticum ex infusione croci metallorum, ita tempus praefigendo, ut vomitorium opus suum absolvat ante invasionem paroxysmi insequentis; quo elapso immediate adgrediatur usum sequentium. Rec. Extracti Gentian. Absinth. et Centaur. min. aa.

drachm. duas. Misceantur ac dividantur in IX. doses, quarum unam capiat quarta quaque hora, superbibendo Decocti amari sine purgantibus et Vini albi aa. unc. tres. Est et altera methodus curandi has tertianas, in pauperibus scilicet, quorum facultas prolixo apparatui medico ferendo non sit. Ut Rec. Serpentar. Virginian. subtiliss. pulv. scrup. un. Vin. alb. unc. tres. M. Sumat duabus horis ante paroxysmum, et stragulis bene coopertus sudet per tres, vel quatuor horas: idem faciendo per duas alias vices paroxysmo ingruente.

Annus 1679.

Sequenti anno (nempe 1679) sub initio Julii, eaedem febres de novo vires redintegrabant, et quotidie increbrescentes mense Augusto quam immanissime debacchabantur, ac magnam stragem edebant. Cum autem de his jam fusius egi, nil amplius adjiciam, nisi quod novo epidemio a manifesta aëris crasi pendenti, sub mense Novembris prorsus locum cedebant.

Etenim una cum Novembri subingrediebantur tusses caeteris, quas mihi contigit observare, annis ἐπιδημικώτεραι, cum in singulis fere familiis universi laborarent. Harum aliae opem medicam non magnopere desiderabant; aliae vero pulmones ita vehementer agitabant, ut aeger ventriculi contenta per os ejicere subinde cogeretur, vertigine insuper correptus, a nisu violentiori et laborioso. Primis fere diebus tussis, siccam aemulans, nullam materiam spectabilem exantlavit, mox aetate auctior nonnihil; atque ut verbo expediam, tum in eo, quod parcius expectorarent aegri, tum etiam conatu vehementiori et paroxysmorum duratione ad tussim puerorum convulsivam mihi propius accedere videbatur, nisi quod mitius aliquantum saeviret. In hoc saltem convulsivam superabat, quod et febre, et solitis ejus symptomatis stipata aegrum invaderet, quae in tussi puerorum nondum me vidisse memini.

Solemne sit licet, tusses sub hyemis adventum adfligere, mirabantur tamen omnes, eas hoc anno ita praeter solitum increbrescere: quod quidem hac praecipue de caussa arbitror contigisse. Cum mensis Octobris crebrioribus quam solebat, et ferme

continuis permaduisset imbribus; et sanguis hominum tempestati consentiens particulas crudas atque aquosas affatim imbibisset, transpiratione per cutis spiracula a primo frigoris insultu prohibita, natura colluviem hanc serosam vel per ramos venae arteriosae, vel, quod alii volunt, asperae arteriae glandulas eliminare sategit, et tussis ope explodere.

Curatio rite ut instituerétur, quoties scilicet medico fuit opus, tam per venaesectionem, quam catharsin evacuandum esse, nullus dubitavi. Neque enim alia aliqua methodo aeque commode ejiciuntur redundantes seri particulae, ac per phlebotomiam et cathartica, quae tam insigniter vasa emulgent. Remedia pectoralia quod adtinet (praeterquam quod eorum usu gratificamur aegris), non intelligo, quo pacto amoliendae tussis caussae queant conferre, cum omnis eorum actio vel in incrassanda materia, quoties justo tenuior vim expultricis facultatis eludit, vel in eadem attenuanda, quoties ob visciditatem aegrius exspuitur, poni videatur. Id certo scio, inutiliter in his tantum temporis impendi; nonnumquam etiam sanguinis massam eo usque debilitari a retentis particulis seri naturae inimicis, pulmonesque insuper tussi irritatos ita conquassari motu violento ac fere continuo, ut non raro via sternatur ad tabem, a cujus insidiis celeritate curationis aeger vindicari debuerat. Neque multo tutius adhibentur sudorifica, a quorum usu aeger nonnumquam in febrem incidit, nonnumquam etiam particulae sanguinis facile inflammabiles ita pleurae inpinguntur, ut accendatur pleuresis; quod per decursum dictae tussis epidemiae ingenti vi hominum cum suo magno periculo contigit.

Sanguinis itaque e brachio eduxi quantitatem moderatam; epispasticum satis amplum ac forte posteriori cervici adplicandum curavi, quo materiae peccantis pars aliqua alio derivari possit. Posthaec catharticum e lenioribus, infusionem scilicet Sennae, Rhei, cum Manna, et Syrup. Ros. sol. quotidie exhibui, donec vel prorsus convalesceret aeger, vel admodum imminuerentur symptomata, vel, si potio minus aegro arrideret, Pil. Coch. major. scrup. duos quotidie devorandos imperavi, hora scilicet quinta matutina super dormiendo.

Hac etiam methodo, phlebotomia scilicet et repetita catharsi, eaque sola, expugnatur tussis puerorum convulsiva; malum alias pertinacissimum et paene insuperabile. Alii quid valeant hic praestare, plane nescio; me in variis atque omnis fere generis remediis operam non semel perdidisse, satis scio. Sed leniora tantum cathartica hic conveniunt, eaque cochleatim sunt ingerenda, pro ratione aetatis. Quae quidem *κατ' ἐπίκρασιν* evacuatio eo nomine, ut arbitror, dictae tussi medetur, quod scilicet, licet non multum humoris serosi in pulmonibus inveniatur, fervidiores tamen et spirituosi halitus e massa sanguinis in pulmones statis temporibus transmissi atrociores illos tussiendi paroxysmos in tenellis excitant; horum autem in pulmones impetus haud alia methodo aeque sisti posse videtur et praecaveri, atque hac, qua motus priori contrarius (per viscera scilicet) morbi caussae conciliatur.

Verum in morbis epidemiis, cujuscumque demum generis sint (si modo recens adhuc aegrum corripuerint), summopere cavendum, ne alvus ei ducatur, nisi misso prius sanguine. Qui enim morbi a constitutione aëris epidemia pendent, aut jam febres sunt, aut in earum classem levissima de caussa transeunt; cum ex tumultu in sanguine et humoribus a catharsi vel lenissima excitato, et subsequente calore facile accendatur febris, quam alias natura propulsasset consuetis materiae morbificae evacuationibus; gravedine ex. gr. aut tussi in hoc, de quo jam agimus, epidemio; aut diarrhoea, quoties febris cum illa faciens epidemie grassatur. Idem potest dici de quacumque alia aëris constitutione, qua corpus ad certum aliquod febris genus determinatur, quae quidem non semper actu invadit, sed benignioris naturae ductu morbi fomes e sanguine, mediante evacuatione aliqua ejus genio accommoda, exturbatur. Hoc constanter adsero, quantumlibet mos jam obtineat exhibendi cathartica ante celebratam venaesectionem, vel quod adhuc est periculosius, ea penitus omissa. Licet enim objiciatur faeculentias in primis viis stabulantes toties in vacuas venas propelli, quoties detrahitur sanguis, alvo non prius subducta; certissimum tamen est, evacuationem, quam isti praemitti volunt, nullo modo resarcire

posse injuriam sanguini inlatam a tumultuante cathartico phlebotomiae praemisso. Atque negari non potest, catharticum mox a demto sanguine adsumtum longe mitius vim suam exserere, neque perinde sanguinem vel calefacere, vel exagitare, atque idem solet, si phlebotomiam praecedat. Neque paucos, ex infantibus maxime, vel ob ignoratam hanc rem, vel neglectam periisse existimo.

Atque hoc mihi suffragante experientia multiplici compertissimum est. Experientia, inquam, optima duce et magistra, ad cujus leges et normam nisi exerceatur medicina, eam prorsus exulare satius esset. Luditur enim, quod ajunt, de corio humano plus satis, cum hinc empirici, neque morborum historiam, nec methodum medendi callentes, et receptis tantum freti, isthinc sciolorum vanissimi spem omnem in adfectato artis ambitu, et speculationibus, utrimque pari fere momento disceptatis ponentes, quasi junctis viribus majorem edunt stragem, quam ederent morbi, eorum destituti auxilio. Ea demum praxis, eaque sola aegris mortalibus opem feret, quae indicationes curativas ex ipsis morborum phaenomenis elicit, dein firmat experientia: quibus gradibus magnus Hippocrates ad coelum adscendit. Et, si dicta methodo ars medica a quoquam traderetur, licet morbi unius aut alterius curatio cuilibet e vulgo possit innotescere, integra tamen ars, quaqua patet, homines prudentes et peritos etiam magis exquireret, quam in statu hodierno, neque vel minimum artis honori exinde decederet: cum enim subtilitas longe accuratior in naturae operationibus (in quarum observatione vera praxis medica fundatur) quam in arte aliqua, hypothesibus etiam luculentissimis suffulta, inveniatur, medendi ars, quam praecipit natura, rude vulgi ingenium longiori intervallo superabit, quam ista, quae a philosophia docetur. Fidem hic mihi facient febres, quae duas e tribus in medicina facienda partes occupant; et quemvis mihi arbitrum constituo, vel mediocriter cogitationibus indulgere solitum, vera dicam necne. Quis enim vel ex insulsissimis empiricis est, qui se huic morbo curando imparem fatebitur, si id tantum agendum est, ut duabus istis indicationibus curativis, quae vulgo obtinent, fiat satis? Nempe ut sudoriferorum ope

exterminetur materia, morbum committens, et symptomatis eatur obviam, quae ejusmodi evacuationibus superveniunt. Certissimus enim est, Theriaca Andromachi, Pulv. e chelis Cancr. comp. Aq. epidem. etc. intro adsumtis, una cum regimine calidiori sudores posse propelli; quem sibi scopum unice proposuit in hujus morbi curatione, maxime si forte malignitatis nomen auribus usurpaverit. Et ad mitiganda quod adtinet symptomata, Diacodium in promptu est, quo somnus invitetur, quoties urgeant vigiliae; enema, quoties alvus non respondeat; et sic de caeteris. At nec ipse valet comprehendere suo Marte, nec e medicorum praescriptis ediscere, quae demum illa sit febris species, quam debellare satagit; si modo credamus (credent saltem forte posteri) varias dari febrium species, quarum singulae suam sibi methodum medendi a reliquis diversam fere postulant; unam insuper eamdemque febrem, cujuscumque sit generis, uno modo, ubi primum adgreditur, atque alio paululum diverso per singulos gradus, quousque grassabitur, tractandam esse. Quo pacto indicationes curativas ab hoc vel illo phaenomeno minus insigni mutuabitur, naturalem morbi historiam ignorans (quae sola veram medendi rationem indigitare poterit), cum nequeat dijudicare, an hoc vel aliud phaenomenon a curandi, quam adhibet methodo, an ab ipso nascatur morbo? Dies deficeret enumerantem varia et subtiliora illa minutioraque, quae in hoc atque in aliis morbis curandis observanda occurrunt: quae cum tot sint, et tanti momenti ad liberandos a morte homines, semper licebit posteris et seris nepotibus aliquid adjicere iis observationibus, quibus traditur varietas paene infinita operationum naturae in morborum productione, et curativae indicationes ex eo fonte depromendae enumerantur. Non itaque vilescet ars, si quid hujusmodi lucem adspiciat, quin potius illustrabitur, et difficilior reddita, nonnisi sapientes et subacti judicii viros in filiorum numerum cooptari sinet. Sed haec obiter.

Tusses modo dictae, si imperite tractarentur, febrem accendere solebant ei haud absimilem, quae hyeme anni 1675 adeo epidemie grassabatur, et cujus historiam tradidi Sect. quinta cap. quinto libri nostri

de Morbis acutis. Sed cum febris haec soboles tantum esset, ac effectus tussis epidemiae, eadem ipsa methodo febrem felici semper cum successu adgressus sum, quam in tussis curatione supra descripsi; nempe venaesectione, epispastico cervici apposito, et cathartico deinde tribus auroris exhibito. Quamlibet enim in tussi sine febre nullum praefiniebatur tempus, quamdiu aeger purgandus esset (utpote quae continuari deberet, ut supra notavi, donec vel prorsus convalesceret, vel admodum imminuerentur symptomata), in febre tamen, quae a tussi pendebat, purgatio per tres dies instituta ei prorsus debellandae par erat; quod in constitutione, de qua jam agimus, saepiuscule observavi.

Hic autem notandum occurrit, licet hanc febrem, quando se primum exserebat, comitarentur defluxiones in pulmones molestissimae, post mensem tamen unum vel alterum, cum colluvies ista seri sensim e sanguine eliminaretur, febris ejusdem plane indolis hinc inde sine tussi aliqua infestabat (non penitus deleta, sed manente adhuc in sanguine malae crasis impressione), ac proinde haud diversam curationem ab ea, quam tussis comitabatur, sibi vendicabat.

Verum eodem, quem dixi, modo haec febris se extendebat usque ad initium anni 1680 quo haec conscripserim; quo tempore etiam cum anno surgente febres intermittentes modo dictae adparere incipiebant.

Anni 1680, 1681, 1682, 1683, 1684.

Exinde vero ad initium usque anni 1685, quo secundam hanc nostram editionem jam conficio, eaedem adhuc perdurarunt. Etenim tametsi in hac urbe non adeo epidemie nunc temporis invadunt, ac in quatuor primis annis, et mitiores etiam sunt; in aliis tamen locis, nunc his, nunc illis, non minus grassantur ac saeviunt. Atque etiamnum generalis constitutio intermittentibus producendis adeo favet, ut ad hunc usque diem adfirmare possim, me ne unicam quidem febrem per hos dies vere continuam vidisse unquam, nisi forte re male gesta in earum classem fuerit evecta; vel una esset intercurrentium mihi dictarum, quod scilicet omni fere anno inva-

derent. Ita pertinaciter haec constitutio hujusmodi intermittentibus conducit; cujus certe acies prius est retundenda, quam continuae depuratoriae mihi dictae epidemie grassari fuerit integrum. Etenim in intermittentium specie natura plus satis festinare videtur, et agendi vehementia justo citius tempora materiae morbificae subigendae, mox etiam despumandae, debita percurrere: quod in depuratoria secus accidit, in qua non nisi post dies tredecim vel quatuordecim apparent signa materiae febrilis tandem concoctae, per sudores subinde, vel potius per *διαπνοὴν* paulo pleniorem eliminandae. His rite perpensis nullus dubito, quin febres istae depuratoriae, quae annis 61, 62, 63, 64 regnabant, quasi faeces fuerint intermittentium quarumdam, quae ante id tempus per seriem annorum certam saeviissent (quanto autem tempore hae invaluissent, haud equidem scio). Cum enim constitutio, quae ad intermittentes faciebat, saevitiem suam deponens jam ferme exolevisset, febres, quas postea parturiebat, magis humorales erant ac terreae; unde non nisi lente ac pedetentim sanguinem depurare sategerint, quae in primis constitutionis annis subtilioribus principiis innixae, atque adeo intermittentium typo indutae, celeri passu suis temporibus defungi solerent. Quod si res ita se habeat, verisimile mihi videtur, hanc febrim (depuratoriam volo) postliminio reversuram, quam primum praesens constitutio aliquantulum remiserit, eamdemque serie quadam annorum permansuram, antequam pestis eam exceperit. Per annos autem omnes, quotquot demum ii fuerint, quibus febris haec grassabitur, intermittentes etiam subinde se exserent, ac fortean nonnumquam, pro brevi tempore, epidemiae evadent; quando scilicet manifesta aliqua aëris temperies ad id symbolum suum conferet. An huic febri cortex peruvianus aeque medebitur, ac nunc dierum febribus intermittentibus solet, non habeo certo dicere. At in peste atque epidemiis continuis, quae eamdem ordine excipient, debellandis, non alios effectus ex ejus usu exspectare licet, quam eos, quos hodie in pleuritide, peripneumonia, angina, ac id genus febribus inflammatoriis, videmus; quibus non tantum non prodest, sed et plane obest. Sed utut id fuerit, eo quem diximus modo in posterum epidemiorum alii alios excipient, siqui-

dem natura eumdem ordinem, ac per viginti quatuor annos ultimo praeterlapsos, observaverit.

Atque haec fere sunt omnia, vir plurimum honorande, quae de morbis epidemiis annorum nuperrime elapsorum observavi.

In rheumatismi vero curatione (nam et de illo etiam morbo quaerebas) saepenumero mihi subiit tecum dolere, quod non nisi ingenti sanguinis vi, repetitis venaesectionibus educta, ea possit perfici; unde non tantum aegri vires pro tempore franguntur, sed si paulo fuerit natura debilior, aliis etiam morbis ad annos aliquot obnoxior fere redditur; cum post illos elapsos materia rheumatismum prius committens jam in pulmones depluat, aegro scilicet frigore perculso, vel alia aliqua προφάσει leviori, diathesis latens in sanguine jam foras in actum protrudatur. His de caussis experiri statui, an nulla alia methodus daretur a reiterata toties phlebotomia diversa, qua hic morbus possit debellari. Serio itaque perpendens, quod adfectus iste (uti jam pridem in acutorum historia subinnui) ab inflammatione videatur oriri, quod tum caetera arguunt phaenomena, tum praesertim sanguinis e pertusa vena color, utpote qui pleuriticorum sanguini per omnia similis est, tandem verosimile esse judicabam, morbum hunc diaeta simplici, admodum refrigerante, et mediocriter nutriente aegro imperata, aeque feliciter atque repetitis venaesectionibus profligari posse; etiam evitatis, quae alteri methodo adjungebantur, incommodis: neque me fefellit diaeta e sero lactis phlebotomiae loco substituta.

Praegressa aestate pharmacopola mihi in vicinia nomine Malthus (vir probus, et ingenio non vulgari) me accersebat. Rheumatismo autem misere cruciabatur his symptomatis stipato. Coxendice primo ad biduum claudicabat, exinde pulmones dolore tentabantur gravativo cum dyspnoea, quae post aliud ferme biduum evanescebat; dein caput vehementer coepit dolere, mox etiam coxendix dextri lateris, quae omnium primo laborabat; posteaque, pro morbi indole, omnes fere tam brachiorum quam crurum articuli per vices molestabantur. Cum debiliori esset et sicco corporis habitu, veritus, ne minus firmas jamdiu vires et labascentes, demto copiosius sanguine, prorsus exsolverem (maxime cum aestas eo usque adole-

verit, ut jam metus esset, ne superveniens hyems redintegrandis viribus frequenti venaesectione adtritis intercederet), imperavi, ut solo lactis sero ad dies quatuor vesceretur aeger, quibus elapsis, praeter serum lactis, pro victu ordinario panem similagineum concessi loco prandii, semel nempe in die, donec penitus convalesceret. Tenui hac diaeta contentus ad dies octodecim perseverabat, nisi quod postremis eorum alium insuper panem pro coena indulgerem. Serum autem e lactis libris octo domi paratum quotidie insumebat, quo satis bene nutriebatur. Post hos dies cum non amplius urgerent symptomata, et jam sub dio versaretur, carnes etiam promisi, pullorum scilicet elixorum, caeteraque εὔπεπτα. Tertio autem quoque die solo lactis sero victitabat, donec tandem pancratice valeret, incommodis, quae supra memoravi, hac methodo elusis, quibus decimo abhinc anno pessime excipiebatur, venaesectione ex meo praescripto in curationis subsidium tunc adhibita, ac saepe repetita.

Si quis hanc methodum tamquam rudiorem et artis laude carentem contemserit, sciat is velim, primo leviora tantum ingenia res quaslibet vilipendere, quod simplices fuerint et apertae, dein me, vel imminutae existimationis pretio, publico hominum bono inservire paratissimum. Quibus edico, quod nisi obstarent praejudicia vulgi, nullus dubitarem, methodum jam dictam aliis etiam morbis, quorum in praesentiarum nomen reticere libet, adcommodare. Quod sane magis aegris prodesset, quam solemnior illa remediorum pompa, quae in jam moribundis, tamquam bestiis, ut mox immolentur, coronatis, male collocatur.

Quod vero etiam ista, quae pro vilissimis habentur, et nullius sunt pretii, accedente ea quae in medico quaeritur solertia et ἀγχινοίᾳ, hominibus ab orci faucibus liberandis queant inservire, exemplo docebo: quod licet ad morbum, de quo jam agimus, nihil pertineat, non tamen prorsus est ἀπροσδιόνυσον, nec ab eo, quem mihi proposui, scopo alienum. Duobus abhinc mensibus quidam in vicinia me rogabat, ut servum inviserem, qui haud modicam Mercurii sublimati corrosivi quantitatem deglutiverat, sive, ut postea audivi, ex amore μελαγχολῶν. Hora fere elapsa erat, a qua venenum hauserat, cum ad eum accederem, jamque os et labia valde intumescebant, vehementer

aegrotabat, ardente ventriculi dolore, caloreque tantum non confectus. Ego tres aquae tepidae congios repetitis haustibus summa, qua potui, celeritate et diligentia ebibendos imperavi; atque ut toties nova ingereretur copia, quoties ventriculus jam ingestam per vomitum ejecerat: volui etiam, ut eluerentur intestina aqua tepida, sine ullo additamento, copiose per sedem injecta, ubi primum ventris tormina admonerent, venenum jam per inferiora exitum quaerere. Paruit miser, jam vitae avidus, et plures etiam aquae libras, quam praescripserim, absorpsit. Amici, qui aegro, utpote in casu insolito, adsiderent, ab eo didicerunt, quas primum evomuit aquas gustu perquam acres fuisse, sale scilicet venenato plenius exsaturatas; singulis autem vicibus rejectas aliquam semper acredinis partem amittere, donec tandem nihil prorsus saperent. Quae mox urgebant tormina, sola aqua injecta ad modum enematis leniebantur. Hoc tam nullo rerum adparatu, benedicente Numine, intra paucas horas convaluit aeger, nisi quod labia non statim detumescerent; ore etiam a veneni particulis, quae aquam, quam evomuerat, penitus infecerant, adhuc exulcerato. Quae symptomata diaeta e lacte solo, ad quatriduum adhibita, mox evanuere. Aquam oleo (quod hic una cum opere ignari solent perdere) atque aliis omnibus liquoribus ideo praetuli, quod cum ea magis esuriret, exinde magis idonea mihi videretur devorandis salinis hujus veneni particulis, quam alius quilibet liquor, qui vel crassior esset, vel particulis alieni corporis jamdiu praegnantior.

Sed ut ad rheumatismum revertar. Utut e sero lactis diaeta conveniat juvenibus, atque iis, qui temperate, et cum consilio vixerunt; tamen inconsultum fuerit, virilem aetatem praetergressos, vel vino, ac aliis liquoribus spirituosis, jam a longo tempore plus aequo addictos hac methodo tractare; utpote quae in hujusmodi hominibus ventriculum labefactet, et pariter, prae inusitato frigore sanguini inducto, viam sternat ad hydropem. In hoc igitur casu omnino par est, ut eo fere modo, quem libri nostri de Morb. acut. Sect. VI. cap. V. tradidi, curetur aeger: Tametsi, ex quo eum scripsi, experientia didicerim, satius esse, post secundam, vel ad plurimum post tertiam venaesectionem cathartica saepe saepius exhi-

bere, atque repetere, donec symptomata omnia penitus cessaverint, quam phlebotomiae rem totam committere. Etenim ob catharsin, suppetias ad everruncandum morbum phlebotomiae ferentem, citra ingentem istam sanguinis jacturam subsistere fas erit: atque porro locus relinquetur paregoricis, a quibus alias, utut saeviret dolor, aegro temperandum esset, cum illorum usu figatur morbus, neque tam facile venaesectioni cedat. Purgativa vero ista e lenitivis solum constent, ut Tamarindis, Senna, Rheo, Manna et Syr. Ros. sol. cum alia, quae ex Scammonio, Jalapio etc. parantur, tumultum cieant et dolorem exasperent. At singulis vespertinis post peractam catharsin Syr. de Meconio unc. un. aliquantulum temporius, quam id fieri solet, propinetur.

Hic autem commemorare libet, me per constitutionem instantem observasse adfectum quemdam modo etiam a nephritico dolore quoad saevissimum lumborum cruciatum non multum abludentem; qui cum febres intermittentes excipere soleret, translationi materiae febrilis in musculosas corporis partes originem suam debebat. Hoc symptoma haud diversam medendi methodum postulabat ab illa, quam morbus ipse, cui adhaereret, febris nempe intermittens, sibi vendicabat; cum a frequenti phlebotomia et quibuscumque aliis evacuationibus exasperaretur illud, atque aeger in vitae discrimen conjiceretur. Quod ut nemini imponat, id adtingere volui.

Atque haec sunt, spectatissime vir, quae in iis adfectibus, de quibus sciscitari libuit, sedula observatione habeo comperta: quae si aut tibi placuerint, aut profuerint aliis, mihi cedent ex animi sententia; me saltem, pro tenuitate mea, debitum tuae claritati observantiae specimen exhibere conatum mihi serio gratulabor,

Tibi semper addictissimus
THOM. SYDENHAM.

Doctissimo amicissimoque viro,
THOMAE SYDENHAM M. D. HENRICUS PAMAN.

Magnum rei medicae exortum est et lumen, et commodum, vir clarissime, ex consummata tua de morbis acutis historia, eaque sedula observatione, et fida experientia stabilita; non lucri aut famae aucupio scripta, sed sincera fide, et mente honesta; cum tibi amplum satis theatrum sit officium fecisse, et praesenti seculo quovis modo profuisse. Ipse hactenus celavi penitus, quod volui, at fortasse quid jam parem, tibi e longinquo subolet. Qui laudat, quod facis, urget, ut facias, quod adhuc laudetur. De morbis acutis scribere summa difficultas est, utpote quos tam rapida volvit rota, ut nisi opportuna sistatur sufflamine, ita praeceps ruat vita, nullis in posterum auxiliis, nullis suppetiis redimenda. Tu singula eorum momenta notas, et quid quovis temporis articulo fieri necesse sit. Opus quidem perfectum, et absolutum, cui nihil addi poterat, nisi majus promiseras, de morbis scilicet chronicis. Hi inducias ferent, et tutiores examinandi et judicandi moras.

Saepe nobis incidit sermo de propudio illo morbi venerei, cujus ignominiosam originem gentes Europeae a se invicem sedulo satagunt propellere, et ut ejus magis adhuc occultentur vestigia, ad ipsos Indos remotissimos amandant. Scordatorum audit flagellum, furiosae et indomitae libidini aptissime respondens poena; eo fortasse fine tardius remota, ut tanti constet poenitere. Et humanitatis, et peccati simul sensu tactus videbatur, qui palam optavit impurissimam hanc luem semel tantum curari posse. Cum jam autem ad agyrtas, tonsores, et infimos quosque sciolos ejus saepe devoluta sit curatio, illi aut fraude aut imperitia magno eam sumptu, majori etiam molestia tamdiu differunt et protollunt, ut vitae plane taedeat inter carnificum tormenta et

longissimas medicinae moras protractae, et fere levius sit aegrotasse, quam sanari. Jus igitur promissi, amice tamen, exigo; praemittas oro in arrhabonem reliquorum, si quid habes hac in re confectum. Humaniter, et sincere explices, qua methodo, quibus auxiliis hoc morbo captus se redimat, quam queat minimo. Satis est, ut aeger sub Deo, non etiam pejus sub medico vapulet. Hoc gratum pluribus fiet, et ad me aliqualis saltem pars gloriae redibit, utpote cujus precibus desideratissimum hoc opus in lucem dederis.

Tibi omni officio addictissimus,

H. Paman.

Ex Aedib. Lambeth.
Febr. 12. 1680.

EPISTOLA II.

RESPONSORIA.

Ornatissimo Eruditissimoque viro, HENRICO PAMAN, M. D. *Divi Johannis Cantabrigiensis socio, Academiae oratori publico, et in Collegio Greshamensi apud Londinenses in medicina Professori.*

Quamquam eum, quem de acutis morbis, vir spectatissime, nuper edidi tractatum, quae est tua tam humanitas, quam animi in me propensio, ceu opus undique consummatum depraedicare digneris; usque adeo tamen tenuitatis tum meae, tum istius opellae mihi sum conscius, ut me nihil aliud egisse existimem, quam viam praemonstrasse, qua qui ingenio magis valent, dictorum morborum et historiam et curationem queant investigare.

— — *Fungor vice cotis, acutum*
Reddere quae ferrum valet, exors ipsa secandi.

Et profecto ita multiplex, incerta, et delicata, ut ita dicam, est natura, atque ita ludit in his morbis producendis, ut unius non sit hominis, utut vivacis, varia eorum φαινόμενα et curationes iisdem accommodatas graphice depingere. Unum hominem dixi? quid quod vel decem quidem homines, per tot secula sibi invicem succenturiati, atque iidem tum maxima ingenii vi, tum indefessa industria praediti, tum etiam in praxi, quae numerosas observationes suppeditaret, versatissimi, perpulchre hic operam suam collocare possint? Tantum abest, ut ad artem medicam vel pervenerim ipse, vel me putem pervenisse:

Mecum habito, et novi, quam sit mihi curta supellex.

Morbos istos chronicos quod adtinet, quorum

historiae perscribendae spem tibi feceram, ita penitus animo meo insedit ejus rei studium, ut non tam alia de caussa, si bene me novi, vitam mihi prorogari exoptem, quam ut istiusmodi aliquo conamine communi hominum utilitati inserviam. At vero singuli me dies docent, quam sit arduum coeptum id, et quam periculosae plenum aleae (mihi prae caeteris, qui isto ingenii acumine atque solertia, quibus hic est opus, non satis valeo), cum apud scriptores rei mediae (divinum HIPPOCRATEM si demas, atque alios paucissimos numero) vix ulla deprehendi queant vestigia, quibus adjutus per rerum avia, spinis et sentibus impedita, iter faciam; cum, quae promittant subsidia auctores et lumina ostentant, magis ignes fatui sint, quam verae faces, et in salebras potius ac praecipitia sequentem agant, quam meutem fideliter et recta dirigant in genuina naturae methodo indaganda atque invenienda: utpote quorum scripta fere omnia hypothesibus innituntur, quas peperit lascivientis ingenii et phantasiae luxuria; ipsaque adeo morborum phaenomena (in quibus eorumdem historia vertitur), prout ab iis describuntur, ex eadem ὑποθεσέων officina prodeunt; quin et ipsa praxis, qua morbos adgrediuntur (quod humani generis pestis est certissima et pernicies), ad hujusmodi postulata componitur, non ad rei veritatem. Usque adeo grassantur, et regnant fere in singulis paginis cerebrosorum hominum commenta; jacent interim naturae judicia. Quibus non obstantibus, si vitam Deus atque otium concesserit, experiar fortassis aliquando, quid valeant humeri. In praesentiarum, ut animum agnoscas in tui obsequia paratissimum, en tibi offero, ceu ejus, quod molior, operis specimen, dissertationem hanc, brevem illam quidem, de lue venerea, et quam solam adhuc praelo adornavi.

Primum autem id adtingere volo, me haud paucos convenisse, qui sive prae studio, honesto quidem eo, incontinentiores a peccato coërcendi metu inseeuturae poenae, sive ut castimoniae laudem sibi adrogarent, non dubitabant adserere, luis venereae curationem docendam non esse. His ego non adsentior; utpote qui existimem, nullum fere locum charitati atque operae mutuae relictum iri, nisi ea, quae sibi sua ipsorum culpa improvidi accersunt mala, huma-

niorum officiis sarciantur. Omnipotentis Dei est sontes castigare, nostrum vero miseris pro virili succurrere, atque aegris opem ferre; non autem curiosa caussarum indagatione illos acrius urgere, aut censorio vexare fastu. Tradam itaque, quae in hoc morbo observavi atque expertus sum: non quo hominum animos deteriores efficiam, sed ut corpora (quod mihi negotii datum est) reddam saniora.

Luis venereae historia.

Lues venerea ex India primum occidentali, an. Dom. 1493 Europam adpulit; cum ante id tempus ne quidem nomine tenus, quantum scire licet, nostro orbi innotuerit. Unde etiam morbus vulgo censetur iis tractibus Americae endemius, in quos nos primi colonias deduximus. Mihi vero potius e regione aliqua Nigritarum Guineae conterminorum originem traxisse videtur; cum a plurimis nostratium iisque fide dignis, qui insulas Caribes dictas incolunt, didicerim, mancipia recens a Guinea allata, etiam antequam in terram descenderint, tum alia ibidem degentia hoc morbo tentari, nulla copula impura praegressa, ita ut non raro universam aliquam eorum familiam, viros scilicet, mulieres, liberosque male mulctet. Neque ista lues, quae adflictissimos hosce saepe saepius invadit, vel hilum a venerea nobis dicta, quantum ego quidem intelligo, quoad symptomata, dolores scilicet, ulcera, etc. habita nempe diversorum climatum ratione, videtur discrepare, licet nomine prorsus abludat, cum *the yaws* ab illis dicatur. At nec medendi methodus, qua utuntur illi, a nostro abhorreret, utrobique enim salivatio ex hydrargyro utramque facit paginam: non obstante eo, quod hic apud nos dicitur de eximia Guajaci et Sarsaparillae vi, quam in natali solo exserant, quae ex longo ad nos itinere tantum non exhausta putatur. Probabile itaque mihi videtur, Hispanos, qui in Europam primi hunc morbum traduxere, eodem infectos fuisse ex contagio Nigrorum emptorum in Africa, quorum genti alicui (multi enim sunt populi Guineae confines, apud quos invaluit mos ille barbarus homines Europaeis mercibus permutandi) endemius esse potest. Utut sit, contagiosa ista lues paulatim serpens has orbis terrarum partes eo usque inquinavit,

ut, si ea celeritate grassaretur adhuc, qua primum invasit, intra secula aliquot actum esset de genere humano, vel saltem nosocomiis de caetero addictum, prorsus impar esset iis rebus gerendis, quibus continetur hominum societas: nisi quod, vegetabilium instar, in alienum a patrio solum quasi transplantata, Europaeo nostro non perinde laetatur, sed languet indies, et mitioribus phaenomenis fatiscit. Novus apud nos hospes cum esset, si quem adripuerat, mox omnem sanguinis massam contaminabat, et diris capitis atque artuum doloribus, tum etiam ulceribus variis in partibus se prodebat. At vero centum retro annis gonorrhoeae virulentae specie se primum ostendebat, ostenditque adhuc; hac sibi porta exitum quaerens, nullo alio manifesto symptomate, nisi quod in perpaucis ulcusculum in pudendo (vulgo a shanker) primum morbi est indicium; cujus virus cum per gonorrhoeam non ejiciatur, sanguinis massam dicto citius pervadit inficitque.

Propagatur autem venerea haec lues vel per generationem, unde misellus infans ab inquinato parentum altero mala ducit stamina vitae; vel per contactum mollioris alicujus partis, quo virulentia atque inflammatio corpori insinuantur, ex occasionibus hoc in loco dicendis. Primo in lactatione v. g. vel infans nutricem per rariores mammillarum poros, vel nutrix infantem per os tenerum inficere potest. Secundo, infantes si nudi cum inquinatis in eodem lecto dormiant. Licet enim adulti, quorum caro jam firmior aetate obduruit, vix nisi intercedente impuro coitu, quamvis simul dormiant, possint infici; infantium tamen laxior caro, et texturae rarioris venenum facile excipit; quod non semel observavi, infantibus a genitoribus, quibuscum dormiebant, infectis contigisse. Tertio autem, partis mollioris contactus maxime in coitu impuro fit, ac proinde eo prae caeteris modo serpit lues; cum scilicet penis spiritibus generationi dicatis turgidus, a venereo sive ulcere, sive etiam pustula, in uteri vagina stabulante noxam de facili haurit, quorum alterutro intus latente mulier nihilominus sana videri potest; veneno nempe, vel illarum partium illuvie ita detento, ut segnius invadat sanguinem, vel per menstruas purgationes diluto saepius et quadamtenus exterminato.

Contagio haec carnosam virgae substantiam, quantum ego judico, primum adoritur, quam quidem corrumpens, eidemque primo inflammationem, mox ulcerosam *διάθεσιν* sensim inducens efficit, ut sanies, qualem in gonorrhoea cernimus, in urethram lente exstillet: quod ut credam, hac ratione promoveor. Ipse scilicet vidi virulentam hujusmodi materiam per substantiam glandis porosam exsudare, non per urethram ejectam, nulloque ulcere vel glandem occupante, vel praeputium. Tandem vero altius penetrans, glandulas prostatas efferato ulcere solet depascere; quod haud raro cernitur in eorum cadaveribus, quos hic morbus e medio sustulit.

Gradibus mox dicendis procedit hic morbus. Aeger (ocyus aut serius, prout mulier, quacum consuevit, magis minusve fuerit inquinata, pro ratione etiam temperaturae *μιάσματι* excipiendo magis minusve idoneae), primum dolore genitalium insolito cruciatur, cum quadam rotatione quasi testiculorum; postea, si recutitus non sit, macula primo morbillum jam erumpentem magnitudine et colore aemulans glandis partem aliquam invadit. Statim ab hujus maculae exortu, liquor quidam lente exstillat, seminis instar, qui quotidie a seminis tam colore, quam consistentia recedens, flavescit tandem, aliquanto dilutius ovi vitello; et in lue virulentiore intensioreque non modo virescit, sed et aqueo humori permiscetur sanguine affatim tincto. Pustula jam dicta ulcus tandem fit, primo haud absimile aphthis, infantium ora obsidentibus, quod indies latius et profundius depascatur, supervenientibus orificii callo et duritie. Animadvertendum est autem, quod memorata pustula raro gonorrhoeam comitem habet in iis, qui aut jam pridem gonorrhoea laborarunt, aut recutiti sunt; utpote quorum glans tum ab aëre, cui exposita est, tum a frequenti linteorum attritu indurescens, noxam non ita facile suscipit. Hujusmodi verpi igitur glandis ulcere fere non tentantur, sola gonorrhoea dicto modo nascitur. Hanc alia mox symptomata excipiunt, ut primo magnus doloris sensus in pene, quoties erigitur, perinde ac si valida manu transversus fortiter constringeretur; qui noctu praecipue urget, quoties in lecto aeger coepit incalescere: quam quidem constrictionem penis dolorificam morbi hujus in

hoc statu existentis signum *παθογνωμονικώτατον* existimo. Incurvatur etiam veretrum a fraeno jam contractiore, quod cum in erectione extenditur, pro natura sua acutissimum dolorem adfert. Accedit etiam ardor urinae, qui plerumque inter mingendum vix percipitur, at vero aeger jam a mictu cessans per omnem urethrae ductum acriter admodum uritur, maxime qua in glandem desinit. Nonnumquam etiam erosa atque excoriata urethra, jugi puris acrioris fluxu, natura in carne nova vice jam deperditae justo occupatior, laxam quamdam et spongiosam substituit; quae mole quotidie aucta et sensim indurata caruncularum excrescentiis ita meatum urinarium infercit, ut tandem lotio non detur exitus, quae quidem carunculae nihilominus ex ulceribus sibi adnatis ichorem quemdam evomunt, et tum medico crucem figunt inter curandum, tum aegro magis ipsa morte timendum malum. Quinimmo saepe accidit, ut sanies, quae per gonorrhoeam deplenda erat, vel a motu violentiori, vel adstringentium usu in scrotum deposita, atrocissimum dolorem et scroti inflammationem accersat; nunc alterutro, nunc utroque ejus latere in molem ingentem elato; gonorrhoea interim progreditur tardius, at vero urinae ardor non mitius urget. Atque haec sunt communiora morbi hujus symptomata, manente hoc ejus statu.

At vero quoties sive morbi diuturnitate, et in dictis partibus mora, contagio sursum fertur, et sensim sanguini labem inprimit; aut materia virulenta indebito adstringentium usu in corpore retenta humores putrescunt, vera lues exoritur, in qua tumores sive bubones saepe in inguine comparentes primum ejus gradum constituunt. Dolores tum caput, tum artus in articulorum interstitiis, humeros scilicet, brachia et talos, crudeliter laniant, nullo ordine invadentes, et per intervalla; licet noctu aegrum lectuli calore perfusum rarissime destituant: nec nisi sub auroram libenter evanescant. Crustulae etiam et porrigines varias corporis partes deturpant. Flavescunt hae ferme ad instar favi, quo signo a caeteris omnibus queant internosci. Quandoque superficie latiore varia occupant corporis spatia ad eum modum, quo lepra in medicorum scriptis depingitur. Quanto autem magis scabies haec diffunditur, tanto minus

aeger discruciatur. Universa symptomata pedetentim incrudescunt, dolor prae reliquis, qui tandem eo usque exacerbatur, ut se nequeat miser diutius in lecto continere, sed protinus exiliens, huc illuc in cubiculo cursitet irrequietus ferme, donec illucescat. Adde, quod prae doloris vehementia cranium atque ossa tibiarum brachiorumque hinc inde adtolluntur in perdura tubera, exostoses dicta, excrescentiae osseae in equorum tibiis (vulgo a Spavin) haud absimilia: quae quidem ossa tuberculis obsessa jugi dolore ac inflammatione tandem cariosa redduntur et putrescunt. Ulcera etiam phagedaenica varias corporis partes depopulantur, quae fauces utplurimum primo adgredientia sensim per palatum in nasi cartilaginem propagantur, quam mox absumunt, ita ut is jam fulcro destitutus plane concidat. Crescentibus indies ulceribus et dolore aucto aeger partim indesinenti carnificina enectus, partim ulceribus confectus et putredine vitam trahit cruciatu, foetore, carie, opprobrio molestissimam, et quavis morte longo intervallo miseriorem; donec tandem pereuntibus per vices membris lacerum cadaver, et jam superis grave humo condatur.

Intrinsecam hujus morbi naturam, essentialem quam vocant, nisi quatenus ea ex istis, quae jam depinximus, symptomatis elucescat, non mihi magis perspectam esse arbitror, quam est essentia sive plantae cujuslibet, sive animalis. Quidquid vero de ea sit, certo mihi constat, humorem hunc committentem inflammationis haud mediocris participem esse, unde haec tot malorum Ilias: constat etiam dictum humorem evacuandum esse, idque iis mediis, quorum efficaciae experientia, medicorum magistra, suffragatur, cum nondum inveniatur immediatum aliquod specificum, cujus ope sine evacuatione praegressa lues debellari queat. Neque enim vel mercurius, vel ligna exsiccantia dicta, specificorum titulo sunt donanda, nisi exemplis in medium adlatis probare quis possit, vel Mercurium absque salivatione, vel lignorum decoctum nullo subsequente sudore luis venereae curationem quandoque absolvisse. Utque experientia didici, sudorifica vulgaria haud minus profecisse in hoc morbo, quam lignorum decoctum. ita nullus dubito, quin si reperiri possit aliud quid

sive in regno vegetabili, sive animali, quod in excitanda salivatione pares cum Mercurio vires haberet, pariter etiam ad sanandam luem valeret. Quandoquidem autem hic morbus adhuc intra gonorrhoeae limites subsistens, longe ab eadem distat, cum jam omnem sanguinis massam contaminaverit, et venereae luis nomen praecise mereatur, ita etiam evacuatio, qua gonorrhoeae materia ejicitur, alia prorsus est atque illa, qua lues jam formata eliminanda est.

Gonorrhoeae virulentae curatio.

Gonorrhoeam itaque quod adtinet, de qua primo agemus, in remediis catharticis, quantum huc usque usu comperimus, curationis omnis cardo vertitur; quorum auxilio vel educitur humor peccans, vel procuratur diversio succorum corporis naturalium, qui aliter hosti in pabulum cederent. Quamvis autem tum ratio, tum experientia mihi dictant, hunc morbum a quolibet demum cathartico saepe diuque exhibito sanatum iri, ea tamen caeteris δραστικώτερα mihi videntur, quae bilem, maxime vero quae ichorem, seorsum fortiter e sanguine expurgant et subducunt. Ac proinde sola Jalapii radice pauperibus aliquoties subveni, quorum tenuitati et rebus domi angustis consulendum erat. Cum vero et morbus conspicuam secum trahat inflammationem, et medicamenta purgantia, quibus expugnandus is est, calida etiam sint, diaeta refrigerans omnino est imperanda a carceribus, quod dicitur, ad metas.

Sic itaque soleo praescribere. Rec. mass. Pilul. cochiar. maj. drachm. tres, Extract. Rudii drachm. un., resin. Jalap. et Diacryd. aa. drachm. sem. cum s. q. Opobalsami F. Pil. e singulis Drachm. vj. Quatuor ex his singulis auroris deglutiendae sunt, hora quarta vel quinta (ita ut aeger superdormiat) ad dies duodecim vel quatuordecim, vel etiam plures, donec scilicet urinae ardor, et materiae seminiformis color flavus admodum imminuantur; quae cum pro voto successerint, satis esse autumo, si aeger interjecto semper die uno, easdem repetat ad septimanas adhuc duas; quo tempore elapso sufficit, ut bis in septimana sumantur pilulae, donec humor ex urethra stillare solitus prorsus evanescat, quod utplurimum

non nisi post multos dies contingit. Quamvis enim vulgo adfirmetur, quod ejusmodi ichor, qui ardore urinae et flavo materiae exstillantis colore disparentibus, mane praesertim, in summitate colis digitis compressi ad guttulam unam alteramve cernitur, a debilitate tantum et a laxitate partium ob diutinam virosi fomitis in eis moram oriatur, miseri tamen experiuntur magno suo malo, reliquias has esse contagii non penitus deleti; quod licet quadamtenus subactum, ex levissima quaque occasione (a potu scilicet nimio, aut exercitio quolibet vehementiori, aut simili alia) novas excitat tragoedias; gonorrhoea postliminio recrudescente, si nempe aeger catharseos molestiam defugerit, nondum exstirpato radicitus morbo.

Si post hujusmodi purgationem gonorrhoea nondum cedat, ex usu erit loco pilularum, maxime in iis, qui difficilius purgantur, potentius aliquod medicamentum subinde intercalare; cujusmodi est potio sequens, quae semel tantum hausta magis aliquando fecit ad sistendam gonorrhoeam, quam leniora cathartica saepenumero ingesta. Rec. Tamarind. unc. sem. fol. Senn. drachm. duas, Rhei drachm. un. sem. Coq. s. q. aq. Colaturae unc. tribus dissolv. Mannae, et syr. Rosar. solut. aa. unc. un. syrup. de Spina cervin. et Electuar. e succo Rosar. aa. unc. duas M. F. Potio. Vel curatione tardius procedente detur Turbith minerale ad gr. viij. tantum bis vel ter (idque interposito debito temporis spatio, ne forte oboriatur ptyalismus); quod quidem remedium in eradicanda gonorrhoea pervicaciori facile primas fert. Vel bis in septimana pil. sequentes exhiberi poterunt. Rec. Pil. ex duobus drachm. sem. Mercur. dulc. scrup. un. cum s. q. Opobalsami. F. Pil. iv. sumendae summo mane.

Est autem, ubi aeger a catharsi dicto modo repetita usque adeo abhorret, ut ne conspectum quidem, vel odorem solum remediorum ferre queat. Est etiam, ubi corpus ex *ἰδιοσυγκρασίᾳ* quadam ita pertinaciter purgantibus refragatur, ut debita peccantis humoris quantitas nequeat educi; atque ita dum impensius in hoc laboratur nullo cum fructu, lues tandem obrepit, quae eos saepissime aegros adoritur, quorum corpora catharticis fortius obsistunt: cum ita

se res habeat, enematis agendum est, quibus injectis utrique indicationi, humoris scilicet tum expurgandi, tum ab adfecta parte derivandi satis fieri potest. Quin etiam haec methodus expeditior est nonnumquam praememorata ista, at non aeque tuta, me judice; cum prior illa licet diuturnitate molestior, minus tamen habeat periculi, neque contagiosi fomitis particula in visceribus haereat, novos datura tumultus; hoc vero incommodum facillime evitatur, si cathartica per os adsumta diebus ab usu clysterum liberis, mutuam iis operam commodent.

Febres continuae varias, pro varia anni constitutione epidem., species ponunt. 24. Et uno anno aliam longe et diversam a praecedenti, pro anni constitutione, medelam postulant. 24. Febris continuae vero species varia expiscatur, licet singulae symptomatis communibus implicentur; primo ex aliorum epidemiorum morborum, tum temporis grassantium, genere; ut qui speciem variolarum regnantium quamdam cognoscit, illi satis constabit de specie febris cujusvis, per id temporis grassantis. 219 ad 220. Secundo, ex symptomatis febri cuilibet, praeter communia, singularibus. 220. Febres quaelibet symptomata praeter communia, alia habent certa, tamquam distinctionis notas, quas singulis speciebus impressit natura. 220. Et distinguuntur sic praecipue, tum sudatione, tum siccitate, hoc illove morbi tempore; modo illae sibi fuerint permissae, nec incongrua methodo tractatae. 221. Exempla vide ibid. At febris nova cujus speciei sit, surgente primo constitutione, cum nulli adhuc epidemii morbi, quos febris praevertere solet, adparuere, ut indagetur arduum est. 221.

Febres continuae sine evacuationibus, sola diaeta, si in initio tractentur, quomodo saepe curantur. 195.
— — epidemiae, quae vel putridae, vel malignae vel petechiales etc. dici solent, licet denominationem eam obtinuerint hactenus ab insigni alteratione sanguini impressa, vel symptomate quodam evidentiore; potius nomina sua sortirentur a constitutione. 27. Quare vero ita censeat auctor. 27 ad 28.
— — verna tempestate, praesertim quae aestatem propius attingit, quare paucae occurrant, nisi constitutio fuerit epidemia. 64. Circa veris finem et aestatis initium minus producuntur, verum illa tempestate vel in intermittentes, vel in pleuritides, et id genus inflammationes, sua sponte dissiliunt. 99. In intermittentium castra, maxime autumno pendente, migrant. 485.
— — ex intermittentibus autumnalibus, defectu purgationis in fine morbi, saepe enascuntur. 42.
— — autumnales et intermittentes autumnales quodnam discrimen habeant. 68. Continuae, aeque ac intermittentes, conceptam effervescentiam (licet hae uno tenore, illae partitis vicibus, eadem defungantur) spatio 336 hor. h. e. 14 dierum absolvunt; si scilicet naturae negotium permittatur, neque medicamentis refrigerantibus aut clysteribus hujus ordo interturbetur; aut corporis debilitas ipsa impediat. 68 ad 69. Sed nonnullae harum, quae ex levi offensa, ex 6 R. N. N. oriuntur, transeuntis et incerti genii, neque ad destinatam periodum pertingunt. 69.
— — atque intermittentes principatum obtinuere, durante constitutione an. 1661. ad 1664. iisque variolae cedebant. 82. 83.
Febris continua compendium quoddam est intermittentium, uti harum singuli paroxysmi hujusce sunt compendium. 32.
— — epidemia const. 1661. ad 1664. aliarum quotquot sunt, cur praecipua et coryphaea habeatur. 33. Unica species in rerum natura tum temporis auctori nota. 34. Intermittentibus subsecuta, ejusdem fuit genii; et intermittentium autumnal. compendium, uti harum singuli paroxysmi istius sunt compendium, videbatur; nec nisi ratione durationis differebat. 32 ad 33. Harum febrium unica facile in intermittentium castra transibat; sed sequentium annorum febres rarissime. 219. Unde patet, quod cum intermittentibus istius constit. natura conveniret. 219. Ad intermittentium autumnalium classem quare referebatur. 32. Et cum raro surgente anno comparebat, liquet al-

tera ratio, cur febr. intermitt. autumnalium classi adnumeretur. 32. In quibus a tertiana ejusdem constit. differebat. 32. Quartanis autumnalibus succedit, ad usque ver debacchatur, ubi tum intermitt. vernal. locum cedit. 33. Quamdiu ex propria indole perdurabat. 34. Ubi hujus despumatio circa diem decim. quart. foret, refrigerantibus ad diem viges. prim. et ultro, protrahitur. 44. 49.

Febris continua constit. 1661. ad 1664. symptomata sibi singularia quaenam habuerit. 34. Plura si male tractabatur superveniebant. 34.

— — — quomodo curabatur. 36 ad 50. In quibusnam venaesectio instituebatur, in quibusnam non, et qua copia; quandonam repetenda. 36 ad 42. Venaesectio praecedat emeticum. 37. 39. 40. Vomitorium quandonam erat exhibendum, ad avertendam instantem alias diarrhoeam. 38. Quo tempore morbi exhiberi poterat. 39 ad 40. Paregoricum post vomitorium vesperi exhibendum. 40. Diascordium pro cardiaco quandonam exhibendum. 40. Clyster quandonam exhibendus. 41 ad 42. In quibusnam vetatur. 42 ad 43. Cardiaca ante evacuationes quare non exhiberet auctor. 43. Quibusnam suo tempore, evacuationibus peractis, uteretur. 45 ad 46. Qua ratione omnia illa media dirigebat. 46 ad 50. Quandonam post morbum purgationem celebrabat. 47. Curatio febris hujus in pauperibus, quomodo cum successu ab auctore instituta. 46. Recrudescere solet, quod notatu dignum, post usum clysterum et catharticorum, quae febrem prius quasi profligaverant. 44 ad 45. Quomodo tractanda tum. ibid.

— — — an. 1667. ad 1669. cur variolosa dicta. 136 ad 137.

Febres continuae depuratoriae an. 1661. ad 1664. quare faeces intermittentium videbantur. 277. Epidemie grassari nequeunt, nisi retusa acie constitutionis intermittentibus faventis. 277.

— a dentitione. 555.

Febris depuratoria vocatur, ubi natura omnia symptomata ita moderatur, ut materiam febrilem rite concoctam, certo suo tempore, vel per *διαφόρησιν*, vel *διαπνοὴν*, expellat. 218 ad 220. Et talis fuit febris constit. an. 1661. ad 1664. ibid. et 512 ad 513.

— — quare naturae primaria febris. 218 ad 219.

— — non illico ut intermitt., sed post dies tredecim tantum materiae concoctae signa exhibet, per diaphoresin eliminandae. 277.

— — quomodo curanda. 36 ad 50. et 512 ad 513.

Febris dysenterica, novi generis febris, constit. 1669. ad 1672., dysenterias et tormina ventris sicca concomitans, eos etiam adficiens, qui hisce morbis non laborabant, dysenterica quare dicta. 143 ad 144. et 161. Haec evacuationibus per alvum exceptis, per constitutionis decursum, dysenteriae in omnibus simillima fuit. 144. 161. Subducebat se paululum, dum alii istius constitut. morbi praevalebant, nec tamen omnino desinebat. 164. Symptomata ejus eorumque varietates describuntur. 161. 162. Febris haec in aphthas, plus quam ulla nota febris, propensior erat; quare. 161 ad 162. Dysenteria absente vel se subducente magis grassabatur, (confer 162 ad 163.) una cum variolis mitioribus hinc inde concomitantibus. 144. 145. Et an. 1669. dysenteria hyeme repulsa, vigebat. 144. Sed an. 1670., Julio mense jam praevalebat etc.; dysenteriis hyeme repulsis grassabatur iterum. 144 ad 145. Hanc vero an. 1671. fugarunt tertianae intermitt.; sed Julio mense de novo repetebat, autumno iterum dysenteriis cedens, et, his frigore fugatis, hyemem totam denuo contristans. 145. Tandem an. 1672. Julio rursus invadebat, et autumno iterum dysenteriis cedebat. 145. et hyeme, fugata dysenteria, redibat. 146.

— — an. 1671. pluribus differebat ab ea an. 1672. ejusdem constitutionis; utraque tamen, facie, tempore invasionis et methodo medendi, in eadem febre specifica concurrebat. 163.

— — dysenteriam epidemiam in aliis locis itidem concomitatur, ut docet dysenteria in Africa, quam tractavit Dr. Butler. 158 ad 159.

— — curatur imitando evacuationes, quae in dysenteriis contingunt, ut expellantur humores acres. 164. Hinc venaesectio et purgationes, ut in dysentericis; sed abstinendum a paregoricis; et quare. 164. Qua occasione methodum hanc adripuerit auctor. 165. Nullis aliis indigebat. 166.

In febre dysenterica paregorica post curationem, ubi vires non redeunt, ut saepe in hystericis, quare conducant. 165. Quoties et quando exhibenda. 165.

— — — adolescentes, praecipue si in initio sudores iis extorti erant, nonnumquam delirabant, non uti phrenetici, sed stupore, quasi caro adfecti: et nulla arte sublevari poterant. 166.

Febres epidemiae sunt vel stationariae vel intercurrentes seu sporadicae. 23. 25. 223 ad 227.

— — regulas ad curationem generales non admittunt. 30.

Hinc quid medico, ubi grassari incipiunt, ut curationem dirigat, agendum. 30. Neque juxta varias annorum crases, aut ejusdem anni varia tempora, adhucdum distingui potuerunt a Sydenhamo. 33. Et febrium epidemiarum diversarum ratio, ubi arcanae annorum constitutioni hae innituntur, non videtur a caussa morbifica, in homine aggesta, deduci posse. 30.

Febris epidemia speciei cujus sit, quomodo noscatur. 164. Et uti ex epidemio tum temporis grassante dignoscitur ejus species; sic ex febre quadam conspecta quisnam ei jungatur morbus epidemius, sive dysenter. sive morbilli etc., noscitur. 220. Quod tamen in nova febris specie, vertente primum anni constitutione, arduum. 221.

— — cujus species perspecta et indoles, eadem methodo, qua semel sublata fuit, curatur semper, donec exstincta illa specie novum genus oboriatur. 24.

— — morbos alios, hac constitutione itidem prodituros, utplurimum praevertit. 221.

— — alicujus constit. repentina aëris quadam manifesta alteratione, materiam morbificam in pectus deponere potest, eadem ipsa interim remanente, sed symptomate istarum partium tum simul producente. 210. 214.

— — continua constit. an. 1661. ad 1664., ubi intermittentes autumn. praedominium habebant, unica fuit, in qua natura symptomata sic mitigabat, ut materia febrilis, debita coctione praeparata, per diaphoresin suo tempore expelleretur. Et videtur haec naturae primaria febris, duplici de nomine. 218 ad 219. De eadem reliqua vid. tit. de febre cont. epidemia 1661. ad 1664.

— — constit. 1673. ad 1675., an. 1773. ingreditur, circa initium Julii, alterius constitutionis morbis nondum plane expulsis, et pari passu cum illa procedentibus, neutro morbo admodum grassante, et per illum autumnum ac hyemem progrediebatur: dysenteriae mense Novembri, sed leniores, hinc inde, post acre gelu succedente calore, spargebantur nec amplius istius speciei adparuere. 187. Phrenitis sine stupore, sed raro, aderat. 198. Initio magis erat inflammatoria, ut patuit ex symptomatis pleuriticis. 190. Variolarum nigrarum an. 1670. reliquias referebat. 192. Symptomata hujus febris propria. 190. Quibusnam comitata quando desinebat. 190. 191. Hanc comitabatur coma quoddam aliquando in aphoniam desinens. 190 ad 191. Et qui ita adfectus, vigesimo octavo vel trigesimo die tantum convalescebat. 191. 198. Delirium le-

ve in adultis aderat; et in pueris somnus abruptus cum stertore. 191. Delirium hoc coma potius stupore aemulabatur. 197.

Febris epidemia constit. hujus comatosa auctori vocatur, ob insignem stuporem comitantem. 200.

— — jam an. 1675., initio Julii, longe lateque depopulata, circa autumnum in viscera coepit converti, specie dysenteriae et diarrhoeae se prodens, per quam viam sibi fugam quaerere adfectabat. 188. 191. Vel caput petebat stuporem inferens. 188. Sed tum temporis anni praedominio potiebatur, ita ut diarrhoea et dysenteria potius symptomata, quam morbi essentiales essent. 189. 191. 199. Catarrhi et tusses se huic febri adjungunt, post subitam tempestatis mutationem. 189.

— — — — curatur. 191 ad 200. Quare ad methodum inveniendam hic diutius haerebat auctor. 192. Qua ratione medelam adsecutus fuit. 192 ad 193. Post venaesectionem pro viribus aegri semel institutam (confer 192.) epispasticum largum nuchae adplicandum. 193. Sequenti die enema in tempore adplicandum, et quotidie reiterandum, sed non post decimum quartum diem. 193. Post haec morbus sibi committendus. 193. Nec ulla evacuatio violentior instituenda. 193. Diaeta sit tenuis. 193. Lecto quotidie abstinendum, vel ei vestibus indutis incumbendum, capite elato. 194. Si a lecto, diutius quam par est, abstineant, rheumatici dolores vel icteri species suboriuntur; et quid tum agendum. 194. In declinatione autem morbi, ubi mitior est, potius lecto decumbat, ut vitentur dicta mala. 194. Solvuntur objectiones eorum, qui existimant hanc methodum tantum sufficere, ut impetus a capite divertatur, non vero, ut materia febrilis concocta per sudores eliminetur. 194 ad 196. Sine sudoribus febris species saepissime fugatur; hinc non sine discrimine sollicitantur illi, capite tum gravato. 196. Per venaesectionem et enemata felicius succedebat curatio; nam diaphoretica plura anomala symptomata et discrimen inducebant. 196 ad 197. Coma et stupor huic morbo comes, quibuslibet remediis tentatis, debellari non poterat, sed naturae si committeretur, tuto licet tarde recedebat. 197. 198. Aliquando ad trigesimum diem defertur convalescentiae primum signum; quo tempore absurda licet adpetant, concedenda. 198. Confirmatur historia. 198. Phrenesis sine stupore, quae aliquando, sed raro aderat, inducias non ferebat, sed cito necabat, nisi Vitrioli

spiritus cum cerevisia tenui propinaretur. 198 ad 199. Diarrhoea et dysenteria symptomatica venaesectione et narcotico sanabantur; addito aliquando cardiaco. 199. Diarrhoea tamen cum minus officiebat, non multum curabatur, nisi cum periculum inducebat, tumque narcoticis erat reprimenda. 199 ad 200. Sudores nocturni convalescentibus supervenientes, in debilibus et emaciatis tabem aliquando inducentes, vino Malacensi, nocte et aurora, ad cochl. v. vel vj. adsumto, profligabantur. 200.

Febris epidemia an. 1679. oboritur similis illi an. 1675. hyemali (210.), ex tussi imperite tractata; quae tamen ut tussis curabatur. 275.

— — novae speciei, an. 1685., primo exsolvente gelu, mense Februario, exorta est, dissimilis illi, quae ab an. 1675. ad 1684., per octennium scilicet, invaluit. 459. Per omnes Angliae regiones latius vagata est, longe magis tamen epidemie in aliis locis, quam Londini saeviens. 460. Haec eadem est, quam auctor, in ea tum temporis hallucinatus, nomine febris hyemalis et febris peripneumonicae tradidit, ac ad intercurrentes relegavit, et quam deinde, aestate superveniente, ad nov. constitut. redigendam censuit. 460 ad 461. conf. 462. Et hyemalem, quam olim a colluvie serosa oriri putabat auctor (vid. pag. 451.) postea invenit nihil esse, quam simplicem sanguinis inflammationem, ad quam jam indicationes curativas dirigendas suadet. 462 ad 463. Hanc febrem novae speciei, cortice peruviano quare nonnulli medici profligare tentarint. 470. Unde liquido constitit, hanc febrem ab istis constitutionis 1677. ad 1685., toto coelo distare. 471.

— — — infantes aeque ac adultos adficiebat. 476.

— — — ne primordium sit febris depuratoriae, olim pestem immanem praegressae, metuere videtur auctor; et quare. 485.

— — — licet continua prorsus esset, tamen ingruente nocte exacerbescebat. 461. 470.

— — — qualia habuerit symptomata. 461 ad 462. conf. 451 ad 452. Quare sudore spontaneo nocturno aliquando mitigatur. 465. Aestivo tempore, ventris torminibus praecipue se manifestabat. 471. Nihilominus venaesectione et catharsi repetitis curanda erat; exhibendo pilul. Cochias, loco potionis, si hanc stomachus non fert. 471 ad 472. Si dysenteriam ex iis torminibus nanciscatur, haec consueta methodo tractari non debet, sed illico Laudano compescenda, et quare. 472 ad 473.

Febris epidemia novae speciei vomituritione aestate etiam se prodit. 471. In quo casu quid agendum. 471 ad 472.
— — — cerebrum, prae aliis quibusque, petere apta nata est. 466. Phrenitis inde nascitura avertitur, regimine refrigerante, abstinentia a lecto, excepto puerperii initio. 466.
— — — curatur evacuationibus, ut venaesectione, purgationibus, iteratis; epispasticis; paregoricis insuper adhibitis. 463. Interponuntur temperantia. 465. Aphthae et singultus si adsunt, cortice peruviano curantur. 464. Diaeta quali utendum. 466. Non ita tamen tractanda, ut evacuantia ad symptomatum omnium sublationem exhibeamus, letale hoc foret; haecce equidem leviter hinc inde remanentia tempore disparent sponte sua, pro ratione qua redit sanitas: sunt enim modo evacuationum reiteratarum, et a cibo potuque adsuetis abstinentiae, quae corpus debilitant, progenies: unde vapores, haud secus ac in feminis, elevantur; qui etiam paregoricis superantur. 477 ad 478.
— — — licet aliquando alia methodo, quam venaesectione et purg. curetur, non statuendum inde, illam methodum praestantiorem aliis; et quare. 484. Quaenam vero sit optima method. quomodo adjudicetur. 484.
— — — per poros cutis eliminantibus, minus certo et tardius, et non sine periculo, tractatur. 478 ad 479. Unde sudoriferis non libenter cedit; hincque constat curam diaphoreticam non convenire. 483. Huic vero non fidendum, quia post ipsam febris redit. 465. Hujus ratio. 465.
— — — methodo traditae omnino non cedens, ad corticem peruvianum, ut certissimum medium recurrendum. 478.
— — — in hystericis evacuantibus protrahitur, hincque paregorica et hysterica adhibenda; et victus pro lubitu concedendus. 470.
— — — recidivam unde habeat, et quomodo haec praevenienda. 464. Est tantum symptomatica tum, et ab aphthis nata. 464.
— — — quomodo in infantibus curanda. 476.
Febres infantum intermittentes cessuras, ex tumido et indurato ventre, quandonam constet. 79.
Febris erysipelatosa rusticis sideratio audit. 244. Speciei duplicis est. Una vulgaris cujus phaenomena antecedentia et praesentia describuntur. 244. 522. Altera species rarius occurrit; et describitur quoad caussas antecedentes, et phaenomena praesentia. 245. 522.

Febris erysipelatosa tempore quolibet, praesertim tamen exeunte aestate incessit. 244. Partem quamlibet, at prae reliquis faciem, occupat. 244. 522.
— — quibuscum phaenomenis incipiat. 244 ad 245. In gangraena aliquando terminatur. 245. Pustulae apparent, ac si apes aut vespae aculeis suis punxissent. 244.
— — vulgaris, et non vulgaris, eodem modo curantur, nisi quod ultima species externis mediis minus egeat. 246. 522. Venaesectio una, et subsequens catharsis, in tempore adhibitae, plerumque curant. 246. Venaesectio quando et quibus intervallis saepe iteranda. 246. Diaeta. 246. Julapium quale et quando exhibendum. 246. A lecto, per horas aliquot, quotidie temperet aeger. 246.
— hectica infantium qualis, et quomodo curanda. 477. 555.
— — post pleuritidem essentialem quandonam. 229.
Febris hyemalis quolibet anno, ab hyeme ingruenti usque ad ver adultum invadit, in febrium intercurrentium classem recensenda. 451. Unde oriatur. 451. Peripneumoniam notham (pag. 235 ad 236. descriptam), quae febris hujus species, producit aliquando: nonnumquam symptomata excitat, quae hic describuntur. 451. conf. 461 ad 462.
— — a peripneumonia notha, ut ex caussa et symptomatis patet, non nisi gradu differt. 451.
— — si male tractetur quaenam symptomata, tandem letalia, adipiscatur; quae tum falso maligmtati adscribuntur. 451 ad 452.
— — curatur venaesectione et repetita catharsi, ut exundans pituitae colluvies, ob hyemis analogiam congesta, revellatur, tumque subducatur. 452. Exhibitis interim paregoricis, et decoctis ac eclegmatis pectoralibus, etc. 452. Raro adeo saevit, ut non post unicam venaesectionem et tres purgationes cedat. 453. Si, errante diagnosi, pro stationaria habeatur, plurimorum interitus caussa erit. 453.
— — et peripneumonia haecce, in forma postscripti delineata (pag. 451 ad 453.), illa est quam postea auctor tradit titulo de novae febris ingressu (pag. 459. et sequ.), simul agnoscens suum errorem, et qua ratione in eum inciderit, referens. 461. conf. 462.
Febres intercurrentes vocantur febres continuae quaedam, quae omnibus in universum annis (224.), qualibet sub constitutione, competunt, et ab hoc illove aëris temperamento, tamquam caussa productiva, ortum ducunt. 23. 25. A stationariis differunt, quod hae ad certam annorum se-

riem et constitut. determinentur, intercurrentes omnibus annis communes sint, qualiscumque sit constitutio. 224. Conveniunt vero cum stationariis saepe quoad caussas externas ac procatarcticas, licet quoad caussas ab aëre subministratas longe dissideant. 224. Febres intercurrentes omni fere anno invadunt. 23. Plures simul non corripiunt, quia non a caussa generali ab aëre pendente, quemadmodum constitutio universalis, verum a particulari, corporum particularium ἀνωμαλίᾳ, qua sanguis atque humores vitiantur, oriuntur. 25. 224. 403. Tamen epidemie nonnumquam, quamvis non ita frequenter, haud minus ac stationariae, grassantur, quando earum caussa mediata generalis, quaedam aëris manifesta qualitas est, corpora ita disponens, ut certae sanguinis et humorum oriantur dyscrasiae, quae illarum caussae immediate fiunt. 223 ad 224. Exempla. 224. Hae febres jam parcius, jam inclementius saeviunt, et cum stationariis, et secum invicem, eodem anno indifferenter commiscentur. 223.

Febres intercurrentes praecipuae sunt angina, febris erysipelatosa, febris scarlatina, peripneumonia notha, pleuritis, rheumatismus. 25. 223. 224.

— quaedam intercurrentibus jure merito essent adnumerandae, quae vulgo non febres, sed symptomata modo habentur, quoniam cito transeunt, et in hoc vel illo symptomate desinunt; quod symptoma tamen revera tantum ex illis febribus sequitur. 249. Tales sunt haemorrhagia narium et haemoptöe. 249.

Febres intermittentes per 13 annos fere exulantes, epidemiae rursus an. 1678. audiunt. 259. Anno 1677., in autumno primo exsertae, quotannis increbrescentes, epidemiae factae sunt, donec ad ἀκμὴν perventae, jam iterum decrescentes rariores ita factae, ut tandem an. 1682., 1683., vix epidemiae viderentur. 459. Et jam an. 1678., vere denuo subortae, aestate et autumno ita saeviebant, ut omnes epidemios fugarent alios, quorum nulli reperiebantur: hyeme variolis et aliis epid. locum cedebant, donec apta tempestate redierint. 259 ad 260.

— — an. 1678. etc. tertianae erant, vel quotidianae; nisi hasce tertianas duplices adpellare velimus. 260. Post tertium vel quartum paroxysmum, non amplius in ἀπυρεξίᾳ desinebant, praesertim calidis adhibitis. 260. Et remissionem loco intermissionis concedentes, ad speciem continuarum perventae, tacto cerebro, jugulabant. Interim ad intermitt. classem erant referendae, et cortice pe-

ruviano itidem, sed majori dosi, debellandae. 260. 265. 266.
Febres intermittentes an. 1678. etc. apoplexiam aliquando comitem habebant, quae ipsa febris erat, caput impetens. 268. In quo casu, ab omnibus evacuantibus revulsionis fine, ut in apoplexia essentiali requiritur, cavendum erat. 268. Diabetis in senibus caussa aliquando fuere, morbo jam curato. 269. Quomodo hic vero curandus. 269. Nephritidis speciem aliquando comitem habuere; quae ut ipsa febris, neutiquam venaesectione aut aliis evacuantibus, curari debebat. 281.
— — — — nec sudorifera nec alia evacuantia, ut venaesectionem et catharsin, admittebant, cum ex illis in continuas mutarentur. 260. ex hisce vero in longum protraherentur. 261. Unde ad corticem peruvianum confugit auctor, ex quo nihil mali, sed plurimum boni, vidit: 261. Et nulli magis, quam huic herculeo medicamento confidebat, si justo exhiberetur. 263. Periculum infert, et recidivam concedit intra quatuordecim dies, quando ante paroxysmum exhibetur. 263. 264. Quae duo incommoda removit auctor sua exhibendi methodo. 263. et sequ. vid. cortex peruvianus.
— — — — quolibet anno resurgentes, usque ad annum 1685. perdurarunt. 276. Continua nulla, constitutione generali an. 1678. ad 1685. durante, et febribus intermitt. favente, ab auctore visa, nisi ex perversa curatione. 276.
— — an. 1679. eaedem erant an. 1678., jam Julio redintegrantes, et autumno debacchantes, novo epidemio tandem sub mense Novembri locum cedentes. 271.
— — an. 1680. (ut solent epidemii) illis morbis certa tempestate, quibus nempe ista favebat, ut hyeme tussi, febribus peripneumonicis, variolis, postquam autumno debacchata fuerat, cedebant: vere autem redibant; donec an. 1681. minus epidemiae factae variolis locum integre cesserint. 309.
— — quae an. 1681. regnabant, adhucdum erant illae, anno 1677. quae reguaverant. 309.
— — epidemiae unde nomina sibi desumunt varia, et discriminantur. 27. Exquisite describuntur 59 ad 83.
— — epidemie saepius grassantur, quam aliae. 219.
— — raro Londini comparuere, a quo tempore pestis regnavit. 219.
— — inter morbos acutos, quo sensu relegandae. 22.
— — calidioribus mediis, citius exhibitis, vel duplicantur,

vel in continuarum speciem permutantur; et exinde in letales verti possunt. 75. 260. Tum ex continuis, circa veris finem, et aestatis initium, saepe producuntur. 99.

Febres intermittentes aeque ac continuae suam depurationem spatio 336 horrarum h. e. 14 dierum, naturaliter absolvunt. 68. et 69. Materiam a sanguine sejungendam adeo crassam habent, ut, sine praevia digestione, ad evacuationem disponi nequeat. 137.

— — et continuae quamvis quoad tempus, quo materiam suam expellere solent, non differant; quod ad earum speciem atque naturae proprietatem attinet, et a continuis et a se invicem plurimum differunt. 70.

— — materiam febrilem, diebus liberis, adgregant, quam natura paroxysmi novi impetu expellit. 263.

— — tria quasi diversa tempora, uno paroxysmo, involvunt. 59. Horum ratio. 59. et 60. Paroxysmi exquisita descriptio. 61. 514. In paroxysmo qui moriuntur, tempore exhorrescentiae fato funguntur. 60. 65. 74. Sudore prorumpente, inquietudo et alia evanescunt, atque ἀπύρεξία succedit. 260. Quare redeant paroxysmi, vid. paroxysmus.

— — in infantibus vel aetate florentibus non attingendae, sed naturae committendae: quin alias morbus in longissimum tempus procurrit, et mille symptomatibus periculosis gravatur, si praesertim vel purgantia, vel venaesectiones, adhibeantur. 74. In infantibus, sive tertiana autumnali sive quartana laborent, plerumque, sanguine sua depuratione defuncto, sponte evanescunt. 74. Senibus vero, autumnales praesertim, periculosae. 74.

— — diuturniores, humores sua mora ubi depravaverint, non tamen curandae per ea, quae humores expurgant, sed per specifica. 355. 70.

— — non oppugnandae tempore paroxysmorum, sed horum aestu consopito. 418.

— — corticis peruviani ope, aegrorum magno emolumento, per duas tresve septimanas delitescunt. 72 ad 73.

— — ad duo genera revocantur, quorum unum vernales alterum autumnales complectitur. 62. Quaeque in tempestatibus intermediis oboriuntur, atque minus frequentes, ad hasce reducendae. 62. Quae distinctio quam necessaria medicinam excolenti est. 62 ad 63.

— — cum autumnales tum vernales, quamvis respectu paroxysmorum et typorum discriminis haud adeo dissimiles, interim essentialiter distinguuntur. 63. Illarum historia. 66. et sequ.

Febres intermitt. autumnales unde oriantur, juxta auctorem. 67 ad 68. Invadunt circa Junium (quae earum est epocha. 146.) si constit. datur epidemia; alias mense Augusto (ad hunc enim referuntur. 62.), vel Septembris initio; serius raro. 66. Post se varios relinquunt morbos, ut hydropem, rhachitidem, tonsillarum dolorem et inflammationem, maniae quamdam speciem. 64. 78 ad 82. Diuturniores in infantibus si fuerint, non discedunt, quin abdominis tumor progignetur. 79. 514. Et crurum tumor aliquando in adultis. 79. 514. Senibus periculosae. 74.

— — — in variis, plerumque una eademque diei hora contingunt. 66 ad 67.

— — — non uti vernales, typum genuinum statim induunt, sed continuas febres ita aliquando imitantur, praesertim epidemiae, ut nisi a prudentissimo distinguantur; donec, exeunte autumno, larvam abjiciant. 28. 67. Febris intermittentis autumnalis an. 1661. singuli paroxysmi compendium febris continuae, uti haecce compendium harum, videbantur. 32.

— — — cum ratione durationis, tum et periculi, longe aliter se habent vernalibus. 64. Si tertianae, sed epidemiae non sint, atque sanos invadant, benignae satis tum sunt aliquando, instar vernalium. 64. At si epidemiae, et senescentes aut cachecticos feriant, non vacant periculo, et forte in futurum ver protrahentur. 64 ad 65. Si quartanae fuerint, erunt tertianis omni ratione pejores. Seniores aliquando brevi jugulant; in senectutis modo qui sunt confinio, licet non in eodem sint discrimine, ut brevi exstinguantur, non nisi vertente anno liberantur a febre et extenuati moriuntur. 65. Juniores morbum hunc melius ferentes, aliquando circa solstitium brumale, at frequentius verno aequinoctio, liberantur. Catharsi vero, vel venaesectionis ope in autumnum insequentem ipsam illam febrem deducunt. 65. Sic infantes tenelli in cunis, licet cum ea febre per menses sex conflictati, de ea tamen triumphant. 65.

— — — ab auctore nulla adhucdum certa praxi curantur, antequam statas suas fermentationes, h. e. despumationis opus, peregerint. 70. In cursu suo inhibere easdem non solum, sed et eas abrumpere, methodo aliqua certa aut specifico medio qui noverit, civis officio humano generi rem illam patefacere tenetur. 70.

— — — non tam facile ac vernales amoventur. 66. Curationem quare tam difficulter admittant, perpenditur. 68.

Febres intermitt. autumnales quomodo curentur. 71. et sequ. Quare eadem in iis utatur methodo auctor, ac in continuis. 70.

— — — quartanae praesertim, non attingendae, nisi postquam sanguis tempus illud exegerit, quod ad despumationem suam perficiendam requirit. 75. Ubi curandae veniunt, indicationes sumi debent vel ex sollicita observatione methodi, qua se natura liberare tentat; vel ex caussae specificae morbi perceptione, ut specificum medium adquiratur. 70.

— — — maxime epidemiae, venaesectionem non absque morbi prolongatione, et senescentium morte, admittunt. 71.

— — — quomodo tractandae, si cortici peruviano non cedunt. 74. et sequ.

— — — penitus sublatae, nec ante, ad alios morbos periculosiores vitandos, praesertim in provectioribus aetate, purgantia exigunt. 76. Haec autem citius exhibita morbum contumaciorem reddunt. 76 ad 77. Haec vero qualia, quando, quo tempore et quoties adsumenda. 77.

— — — vel tertianae sunt, vel quartanae. 67. Sed ita connexae, ut saepe vices permutent, mox tamen ad pristinum genium rediturae. 67. Quotidianae non sunt, ut quidem vernales 67.

— — quartanae, quotidianae, tertianae, suo loco videantur.

Febres intermitt. vernales ad mensem Februarium, ad mensem vero Augustum referuntur autumnales. 62. aut Julium. 146. Aliquando tamen maturius, aliquando tardius invadunt: quod ab uberiore, parcioreve in aëris temperie, ad has febres producendas, adparatu pendere videtur. 62. et 63. Quo vero maturius vel tardius invadunt, eo magis vel minus epidemie depraedantur. 62.

— — — oriuntur a spiritibus prius concentratis, jam calore excitatis, viscidos humores, hyeme in sanguine congestos, ut sese ex iis extricarent, dissolventes, per ebullitionem hanc vernam, 63. Harum historia. 63 ad 66.

— — — semper salutares, raro diuturnae. 64. Numquam letales. 65. Possunt tamen ob perversam medelam moras trahere ad tempus autumnalium usque: licet inde letales non fiant. 64. Incipiunt mense Februario. 146. Mala cura ad tempus autumnalium protractae, ipsa illa tempestate ipsis contraria exstinguuntur. 64.

— — — vel quotidianae sunt vel tertianae. 63.

— — — paucioribus stipantur, in suae declinationis statu, concomitantibus symptomatis, quam autumnales. 77.

Febres intermitt. vernales qua de caussa saepe mora sua autumnales aemulantur, quamvis facilius cedant. 66.
— — — **quomodo curandae. 65. et 66.**
— — — **suo arbitrio permittendae; et quare. 65.**
— — — **evacuationibus quibuscumque pertinaciores fiunt. 65. et diuturniores. 64.**
— — — **constit. 1661. etc. succedunt continuis et circa calendas Majas variolis locum cedunt. 33.**
A febribus intermitt. vernalibus, licet protractis, iis tamen gravibus symptomatis, quae autumnales sequuntur, non excruciantur convalescentes. 64. Sed si nimis debilitati, adhuc evacuationibus extenuentur aegri, in maniam, brevi tamen evanescentem, aliquando incidere possunt. 64.
Febres quaedam tum intermittentes, tum continuae, transeuntis et incerti genii sunt, nec ad periodum destinatam pertingunt; haeque praesertim ex vitio in 6 R. N. N. ortae. 69. Hisce morbis correpti subito convalescunt. 69.
Febres malignae quaenam vocentur. 481.
Febris ex lochiorum suppressione, in puerperis tenerioribus incautis. 374.
— **mali moris ob choleram, intempestive Laudano vel adstringentibus cohibitam, emetico solum curatur. 40.**
— **vere maligna, ab aliis speciebus tota idea ac ingenio dissidet: nec est omnium dierum morbus. 85. Cum peste specie convenit, nec ab ea, nisi ob gradum remissiorem, discriminatur. 85.**
— **in malignis admodum morbis aliquando parca adparet, tum ob miram particularum subtilitatem, ut in peste, a particulis conclusis; tum quod genus nervosum, vel humores extra sanguinem, per metastasin, sint adfecti. 217.**
— **malignitas aliquando plus a therapeia perperam administrata, quam a venenosa morbi indole, proficiscitur. 84. et quare. 85.**
— **maturationis, secundaria dicta, vel et putrida, in variolis confluent. uti et in aliis apostematibus, fit a pure in sanguinem resorpto, quando contingat. 127. 310. 315. 331. et 331 ad 332. 489. Quomodo excitetur. 313. conf. 316. 317. 331 ad 332. 486 et sequ. In mitiori specie die undecimo, in mediocri genere decimo quarto, in pejori decimo septimo, fieri solet. 310. 487. 528. Quo parcius sanguini pus admiscetur, eo levior. 313.**
— **morbillosa an. 1674. duobus primis mensibus, quibus hi morbilli prodierant, intercurrens, in quibus a morbillis differebat. 202. Immanior erat, ad 14 dies et plures**

perdurans. 202. Curabatur ut morbilli. 202. Venaesectionem nec enemata admittebat. 202.
Febris in morbillis, die secundo, consummata adest. 166. Octavo die augetur. 168.
Febres peripneumonicae hyeme saepe oboriuntur. 309.
Febris peripneumonica quaedam, nullo non hyeme, occurrit. 461.
Febres pestilentiales, uno vel altero, post graviorem pestem, anno grassantes, ejusdem ac pestis, cujus reliquiae habendae, indolis sunt, et similem sibi medelam vendicant. 86. conf. 89. Et sic, peste Londin. jam parum moderatiore, ejusdem generis febris ab auctore reperitur, quam quae jam ante pestis invasionem grassabatur. 100.
Febris pestilentialis per diaphoresin universalem expellit materiem morbificam, quam pestis ipsa per abscessus eliminat; unde qui febrem hanc aliter quam per diaphoresin curat, via a natura diversa insistit. 92 ad 93.
— — an. 1665. verno tempore, mense Martio, post hyemem frigidam et siccum gelu caput extulit, eo modo, ac si febris continua epidemia novi generis fuisset; sed a continuis praecedentibus valde diversa erat, neque cum ipsa peste exstincta, verum in ver an. 1667. usque excucurrit. 83 ad 84.
— haec singularis speciei, an. 1665. et 1666. pestem Londinensem praegressa, an pestis nomine insignienda dubitat auctor, symptomatibus quidem iisdem, ac ipsa pestis, stipata fuit. 100. Et non nisi ob gradum remissiorem discriminabantur. 85. Quaenam habuerit symptomata. 83. 84. 98. 99. Omnibus ab auctore rite perpensis, consideratur tamquam inflammatio circa partes spiritales delitescens. 99. Subsequentium omnium inflammatoriarum se ducem praebuit, et chorum duxit. 219. 221.
— illa insoliti genii, auctoris animum exagitat, ut ejus naturam, ad concinnandam medelam, adsequatur. 99. In initio, ubi nondum cognita, vomitorium ad praeservandam diarrhoeam propinat Sydenham, at eventu contrario nec exspectato stupefactus, aliam, quam in febribus adhibere per aliquot tempus solebat, medelam requiri percipit. 98. Exstincta prius femina nobili, in homine altero et aliis quampluribus, methodo ad pleuritidem usitata curatur. 99. 100.
— pestilent. post pestem, quanam methodo alia, quam phlebotomia frequentiore, ut curetur, ab auctore desideratur. 100 ad 101. Qualem invenerit auctor. 101 ad 105. Hu-

jus methodi tam felix successus, ut nullus aeger desideratus fuerit. 104. Curabatur juxta auctoris inventum, venaesectione semel instituta, sudoriferis, et dein purgantibus. 101. 102. 103 ad 104. Quae sudorifera cura quomodo dirigenda. 103 ad 104.

In pestilentiali febre diaphoresis quantum prosit, patet ex levamine, quod persentiscitur dum sudore diffluunt aegri; ubi simulac sudor abrumpitur, omnia iterum in pejus ruunt. 104. Sudore diffluentes jusculis, ovis sorbilibus et aliis cardiacis refocillandi. 103 ad 104. Sudor post artificialem, quasi naturalis, levans, etc. 103. Sudores nulli sponte prorumpebant, at cum omnium symptomatum levamine vel primis morbi diebus excitari poterant; in quo quam maxime differebat a febre constit. praecedentis. 221.

Febris petechialis cum mictu sanguineo, curata. 336 ad 338.

— putrida variolis confl. superveniens, vid. febris maturationis.

Febres quotidianae, pro lubitu, duplices tertianae adpellari possunt. 260.

— — improprie aliquando adpellantur, quae vel tertianae duplices, vel quartanae triplices sunt. 67.

— — an. 1678., vid. febres intermitt. an. 1678.

Febris quotidiana quaenam dicatur. 61.

Febres quartanae olim frequentiores erant, sed an. 1678. tertianae aut quotidianae grassabantur. 260.

— — soboles autumni genuina sunt. 67. confer 13.

— — autumnales epidemiae, usque ad hyemem excurrunt, vel duorum mensium spatio cursum suum absolvunt. 27. confer 13. Qua ratione curandae. 72. et sequ. Aeque ac vernales, in infantibus praecipue, tum in aetate vigentibus, naturae potius commendandae, nec mali quid perpetrant. 74. In senibus vero sunt periculosae, praesertim autumnales. 74.

Febris quartana quaenam dicatur. 61. Triplex quando dicatur. 61.

— — sub autumno semper ingreditur. 13. Et vix ante vernum aequinoctium fugari potest. 13.

— — sanissimum corripere potest, si modo duos tresve dies in locis paludosis egerit. 355.

— — qualia parit symptomata. 65. Diuturnior humores inquinans, uti hysterica adfectio diuturna, cachexiam aliaque mala inducit. 355.

— — medicorum opprobrium. 72. Et cur. 262.

Febris quartana quem semel, cujuscumque aetatis vel temperiei fuerit, cruciarit, alia vice, quod scitu dignum, non multum fatigabit, sed brevi discedet. 65.
— — constit. 1661. etc. autumnali tempore aliis praedominatur, tumque vela contrahit. 33.
— — quomodo in senes, senescentes, agat. 64 ad 65. 74. Quomodo a junioribus, infantulis tenellis, feratur. 65. confer 74.
— — qua ratione per corticem peruvianum curetur. 264 ad 265. Cortice peruviano soli licet cedere videatur; tamen hicce illi morbo potius inducias impetrat, quam quod eum debellat. 72 ad 73. Nec a repetito saepius medicamento, nisi longo temporis tractu expugnatur. 73. Cortice peruv. quasi sopita, post duas tresve septimanas recrudescens, haud segnius quam prius lacessit. 73.
In febre quartana catharsis aeque fere nocet ac venaesectio, non tamen usque adeo, nisi crebro repetatur. 71. Venaesectio nocet, ut in juvenibus morbum ad 6 menses et ultro producat; in senioribus non modo protrahat, sed et in mortis periculum eos conjiciat. 71. Aëris mutatio post illud tempus, quod sanguis ad suam despumationem perficiendam exigit, tantummodo convenit, nec prius. 75. Quare ante illud tempus non conveniat. 75. Aëris mutatio suo tempore si non concedatur, quid agendum. 75. Et quo medicamento utendum. 75.
Febris scarlatina describitur, juxta phaenomena sua. 227. Multos, sed infantes prae caeteris, infestat. 227. Omni tempore, sed aestivo praesertim incidit. 227.
— — curatur abstinendo a venaesectione, enematis, cardiacis; a carnibus, spirituosis, aura nimis libera; purgante cessantibus symptomatis exhibendo. 227. Si convulsiones, vel coma initio eruptionis, infantibus praesertim supervenerint, epispastica cervici adplicanda; paregorica singulis noctibus exhibenda; hydrogala praescribenda. 228.
— — decedens squamas farinosas relinquit. 201.
— secundaria variolis confluent. superveniens, vid. febris maturationis.
Febres stationariae dicuntur febres quaedam continuae, quae constitutioni alicui propriae ac peculiares sunt, suo ordine invalescunt, neque extra illam usquam comparent. 25. Hae a particulari quadam, at nondum satis cognita cujusdam anni constitutione pendent, et caeteris morbis dominantur per totam constitutionem. 223. 224. Non ab aëris manifestis qualitatibus uti intercurrentes producun-

tur. 25. 223. Verum ab aëris qualitatibus sensibilibus jam promoveri, jam retardari possunt (constitutione universali interim ejusdem naturae manente), prout illis favent vel adversentur praedictae qualitates. 162. confer 25. 163. Unde se exserunt ea tempestate, ad quam dictae qualitates eas destinaverint, donec alteri morbo, seu febri epidem., quem aliae subsequentis tempestatis qualitates advocaverint, cedere cogantur. 162. confer 25. Ab intercurrentibus epidemiis differunt, quod hae omnibus annis communes sint, stationariae vero ad certam annorum constitutionem determinentur. 224. Conveniunt vero cum intercurrentibus saepe, quoad caussas externas ac procatarcticas. 224.

Febres stationariae symptomata habent differentia, ratione intensionis vel remissionis, pro modo quo se varia constitutionis tempora, ad quam pertinent, habent. 164. Symptomata diversa a constitutionis natura, ex manifestis alicujus mensis aëris qualitatibus quoque mutuantur: unde quibuslibet annis novae apud vulgum, propter phaenomena diversa existimantur, licet eaedem sint. 163. Exemplum in febre dysenterica an. 1671. et 1672., quae differebat respectu qualitatum sensibilium temporum, in quae incidebant. 163.

— — sunt morbi plerique omnes, qui a pag. 32. ad 218. fuerunt descripti. 223.

Febris stationaria est febris epidemia constitutionis generalis. 451. 453.

— — quaelibet, si Julio potissimum saeviat, autumno adveniente, magno epidemio, a quo annus insigniri solet et cui omnes epidemii ad hanc constitutionem pertinentes cedunt, cedere debet. 162 ad 163. Et quare. 163.

— — an. 1675. tussibus superveniens autumno et symptomata pleuritica et peripneumonica excitans, eadem erat, quae Julio an. 1673. ingressa fuerat. 189. Sed in pectus illa tempestate determinabatur. 189.

Febres tertianae an. 1671. grassantur, verno tempore, et febres dysentericas ac variolas parum reprimunt. 145.

Febris pleuritidis symptomatibus stipata, pleuritidis curam tamen non admittebat. 211.

Febris tertiana quaenam dicatur. 61.

Febres tertianae autumnales epidemiae usque ad hyemem excurrunt, vel duorum mensium spatio cursum integre persolvunt. 27.

— — autumnales, praemature h. e. Julio ingressi, non uti

vernales genuinum typum statim induunt, sed continuas febres simulant ita, ut ab invicem difficile discriminari queant: sed autumno exeunte, larva abjecta, intermittentes vel quartanas vel tertianas se esse palam fatentur: quod observatu necessarium. 28.

Febres tertianae autumnales constit. an. 1661. ad 1664., quibusnam symptomatis ab intermitt. tertian. aliis discriminabantur. 32.

— — — const. an. 1661., initio Julii invasere. 32. At superveniente hyemis frigore exstinctae sunt. 32. Et ubi desinere incipiebant, insequebantur aliae. 33.

— — — quomodo curandae. 71. Purgantia hic sudoriferis mista, quibus, contrarios motus excitando, paroxysmi processus confunditur atque turbatur, multum commendat auctor. 72.

— — — duplices quomodo curentur. 72. Enematis in iis interdicendum. 72. Sudorifera, ut in tertian. simpl., itidem, sed sine purgantibus exhibenda. 72.

— — — aeque ac vernales, in infantibus et aetate vigentibus, naturae potius commendandae, nec mali quid perpetrant. 74. Sed senibus sunt periculosae, praesertim autumnales. 74.

— — vernales licet modo invadant mense Februario, tamen circa solstitium aestivum pariter se subducunt. 27. 145. Quartanarum typos numquam induunt, ut faciunt autumnales. 67.

— — — an. 1678. cortice peruviano non indigebant; sed curabantur, si aeger praesertim sanguineus, venaesectione, emetico, et antifebrilibus amaris. 270 ad 271.

— — an. 1678., vid. febres intermitt. an. 1678.

Febres variolosae ex constitut. pendentes, si variolae prioribus seculis nusquam comparuerint, neutiquam antea exstiterunt. 209. Hinc non ita culpandus auctor, si in methodo ipsas curandi aliquid immutaverit; cum eo recentiorum observationibus tantum adversetur. 209.

Febris variolosa potius a nudo calore et sanguinis aestu seu inflammatione violenta, quam ab humore delitescente, et coctione antequam expellatur indigente, pendere videtur. 138.

— — ac variolae regulares, ab eadem constit. aëris pendentes, si non eaedem, saltem ejusdem naturae fuere et prosapiae, excepta eruptione. 135. 136. Iisdem cum symptomatis adgreditur, se exonerat. 136. Et simul cum variolis regularibus maxime fuit. 136. Hinc febris variolosa merito habetur variolarum soror. 141.

Febris variolosa ptyalismo quomodo fugam sibi quaerebat. 136. 141.
— — minus recte tractata, quibusnam cum symptomatis ad septimanas sex vel octo, nisi mors intercederet, protrahebatur. 136.
— — quia per salivationem, non per abscessulos, eliminatur, alia methodo quam variolae, licet morbus satis similis, curanda. 137.
— — ubi curanda, quibusnam fundamentis indicationes curativae superstrui possint. 137 ad 138. Cum materiam crassam, praevia digestione antequam evacuetur indigentem, non habeat, sed contra materiam facile inflammandam, nec natura evacuationes per modum eruptionis constituat; rei summa erit inflammationem sedare evacuantibus et contemperantibus. 138.
— — curatur venaesectione, enematis, julapiis, sero lactis ac jusculis farinosis. 139. Regimine refrigerante tractanda, quamvis sudores frequentes adsint. 139. 142.
— — an. 1668. in diarrhoeam, introversione ad intestina, mutata est. 142.
— in variolis quandonam adsit, remittat, redeat. 111. 114. In variolis confl. vero, etiam ad multos dies, ab eruptione, discruciat; in discretis contra. 111.
— — tempore invasionis unde. 313.
— intensior, in variolarum initio, eas confluentes fore praedicat. 323.
In febribus variolas anomal. concomitantibus, cur sudores anomali qui simul copiosiores adfuere, nihil emolumenti praestiterint. 221.
Feminae hydrope, ubi parere desinunt, praeprimis adficiuntur. 429. Ubi steriles sunt, licet juniores quandoque occupantur. 429.
— paucissimae ab hysterica adfectione, nisi quae multum laborant, liberae sunt. 341. Ratio hujus traditur. 348.
— nobiles quaedam caritatem suam in pascendis pauperibus potius, quam in iis medicandis, collocare deberent. 230.
— podagra raro, nisi vetulae vel viragines fuerint, adficiuntur. 392.
— in variolis minus periclitantur quam adolescentes. 310 ad 311. In variol. anomal. menstruorum fluxu, tempore non solito adfectae, unde periclitentur; et qua ratione a regimine calido et adstringente saepe exstinctae fuerint. 175.

Femur in podagra irregulari quomodo adficiatur. 388.
Fermentatio quamnam mutationem liquidis inducat. 35.
— liquidorum in quibus differat a commotione massae sanguineae febrili. 35.
— in sanguine (quae et commotio vel ebullitio auctori dicta) naturae solemnis est machina in febribus, qua sanguinem ab intestinis inimicis liberare conatur. 59 ad 60.
— vegetabilia in vinum et acetum vertit. 35.
Fermentationis atque ebullitionis vocabulis cur non utatur potius, quam commotionis, auctor. 34 ad 35.
Fermentationum genera plura et putrefactiones humorum ultra modum retentorum, classem unam caussarum universalium, morbos producentium, constituunt. 21.
Festinatio in morbis curandis quam pessima, plures aegros vita spoliat. 222. conf. 197 ad 198.
Flatus abdominis tumores, ac si a collectione aquarum productos, excitare valent, ubi hysterica adfectio purgantium tumultuosa actione advocatur. 441.
— in hysterica adf. jam acidi, jam nidorosi, unde. 345 ad 346.
Fletus ex hysterica adf. sine ulla saepe caussa. 345. Non modo in feminis, sed etiam in viris. 352.
Fluor albus. 552.
— muliebris, seu mensium fluxus immodicus curatur venaesectione, dein catharsi, corroborantium usui praemissis. 270. conf. 377. 378. 552.
Focus in variolis discret. hyeme tantum exstruendus. 125 ad 126.
— regularis et typum servans quo tempore anni, diei, ingruat; quaenam praemissa incommoda; qualem pedis partem primo occupet; et quo ordine dein lacessere pergat, describitur. 385 ad 387. et 564 ad 566. Primo unum pedem adficere solet. 385. 564. Brevi post pes alter eodem cruciatu adficitur. 386. 565. Raro utrique pedes in initio simul adficiuntur. 386 ad 387.

— — seniores ubi adoritur, nec tam immaniter saevit, nec tam statas habet periodos, quam si aetate juniores occupaverit; et hujus rei ratio. 384 ad 385.

— — paroxysmum habet vel breviorem vel diuturniorem, pro aetate aegri, vel diuturnitate morbi; et qua ratione hoc differat. 387. Paroxysmus hujusmodi major seu generalis dicitur, qui quasi unus ad duos, tres, menses extendere se videtur: sed non est unus paroxysmus, verum ex serie paroxysmulorum sibi mutuo succedentium, et quorum posterior quilibet priore et mitior et contractior semper est. 387. 388 ad 389. 398. 419. 565. Hoc tamen ubique servant, quod dolor noctu recrudescat, mane vero remittatur. 387. Recedente tandem paroxysmo pes adficitur pruritu, furfures decidunt, et desquamatio fit. 387. Tandem ἐυεξία aegri et adpetitus redeunt. 387. Si jam vehemens fuerit paroxysmus, non nisi post annum revertitur. 387.

— — dolores habet inclementiores, quam irregularis podagra, verum hinc quoque paroxysmos breviores, et intervalla inter eos longiora, et magis perfecta. 390.

— — nec juvenes, nec pueros adficit; sed juvenes, qui ex parentibus podagricis nati, aliquid modo praesentiunt istius morbi. 392. confer 566.

Podagra non regularis seu anomala vocatur, cujus phaenomena diversa a regulari. 387 ad 388.

— — talis fit vel ob perversam medelam; vel ob subjecti debilitatem, propter morbi diuturnitatem. 385. 387.

— — describitur. 387 ad 391.

— — paroxysmos particulares, majorem constituentes, multo longiores habet, non ad unum vel alterum diem, sed per quatuordecim, perdurantes. 388 ad 389. 565. Sym-

ptomata, diversa ab iis regularis podagrae, qualia. 388. 389. 565. 566.

Podagra non regularis in paroxysmorum intervallis jam non, ut regularis, valetudinem concedit; sed plura mala aegrum vexant; quae mala exponuntur. 389 ad 391. 565 ad 566. Tandem, natura materiem ad extremitates relegare non amplius apta, symptomata quoad dolorem fiunt mitiora, sed paroxysmi longiores; et artuum dolor, loco articulorum, aegritudo quaedam, cum quadam propensione ad diarrhoeam, vexant: quae omnia, ubi articulorum dolores vigent, iterum recedunt; hocque alternatim. 390. Interim morosi fiunt aegri, animo etiam contagio adflato, sibi aliisque graves. 391. Et ultimo, visceribus infarctis, materia ad extrema non amplius pulsa, vitam cum morte commutant. 391.

Podagra quomodo curanda. 400 ad 425. et 566 ad 569.

— a nemine radicaliter exstirpari hactenus potuit; sed remedium adhuc inventum iri credit auctor. 427.

— ergo, una cum ejus tractandi methodo, ab auctore, cum eam curare se posse non jactet, cur tradatur. 427. et 428.

— quare non adgredienda tempore paroxysmorum, sed in eorum intervallis. 418. Nam fomitem, seu materiam talem morbosam habet, quae naturae inviolabili lege semper in articulos rejici debet, nec inde sine discrimine revellitur, aut alia methodo, quam ea, quam natura praemonstrat, foras ejicitur, cui soli permittenda, cum ipsius omnino opus sit, quod sua methodo sola peragit. 395. 399. 418. Adeoque ipsa materiam peccantem suo modo exterminat, in articulos deponit, et per insensibilem transspirationem difflat: quare nobis non licet eam, vel venaesectione, vel catharsi, vel sudoribus, ejicere. 394.

— non curaretur etiam, quod symptomata ejus coërcerentur ac remorarentur, cum contra curationi hoc adversaretur. 418. Sed illis symptomatis occurrendum tamen est, quae falsa medendi methodus produxit. 418. Tum et iis, a quibus aeger de vita periclitatur. 421. 568. Adeoque symptomata quaedam tamen habet, quibus in paroxysmo occurrendum; ut praeprimis sunt ventriculi languor, tormina ventris. 421. 568. Sic non podagra regularis, sed quae mala cura exacerbata, in paroxysmo tractanda; et quomodo. 418. 421. 568.

— incipiens, per moxae, vel lini crudi, ustionem tantum levatur; sed non attingit hoc caussam morbi antecedeu-

tem, h. e. indigestionem; nec in morbo inveterato, aut perversa cura intro repulso, juvabit. 424.

Podagra ubi radicaliter curanda, coctioni, indigestionibus sublatis, praeprimis consulendum; ita tamen, ut interim, data occasione, quae humores acres leniunt, itidem adhibeantur. 400 ad 425. conf. 566. Hinc curatu perdifficilis, quia duabus caussis admodum contrariis, ut, quae huic prosint, alteri obsint, obviam eundum est; nempe antecedenti, seu indigestioni humorum; tum continenti, seu humorum calori et exaestuationi, quae proprie fomitem morbi constituit, dum articulos obsidet, vel quae post paroxysmum adhuc in sanguine delitescit, separationi inepta. 399. 400.

— ergo ubi sananda, exigit concoctionum restaurationem; sanguinis et partium roborationem; quae omnia totius corporis habitus immutationem et redintegrationem semper ponunt. 394. 399. 400. 406. 407. 411. 415. 418.

— evacuantibus non attingenda, et quare. 399. conf. 394. Venaesectio quantum noceat. 394 ad 395. Catharsis quantum laedat. 395 ad 397. Verum in iis, qui mictu cruento ex calculo renum laborant, Manna omni septimana est concedenda. 497. 566. Sudorifera quomodo obsint. 397 ad 399. 566.

— ut curetur, corporis habitus omnis alio traducendus est, atque homo integer, quasi nova incude, refingendus; hinc diu, constanter, et adsidue in digestivorum usu continuandum, ut coctionum robur et partium firmitudo pedetentim reducatur. 406 ad 407. conf. 415. 566. Digestiva haec, quid sint. 400. Quaenam talia suppeditet materia medica, et qua ratione usurpanda. 400 ad 402.

— pharmacis solis non curatur, sed diaeta seu victus ratio concurrere debet. 407. Haec in podagrae intervallis, cibi quantitatis, qualitatis, temporis respectu qualis. 407 ad 408. 567. Respectu lactis solius usus. 408 ad 409. Respectu potus, ut cerevisiae, vini. 409 ad 410. 412. 413. 567 ad 568. Aquae purae. 410. Potus diaetetici seu decoctorum ex lignis. 411 ad 412. 567. Somni et vigiliarum temporis. 413 ad 414. Animi adfectuum. 414 ad 415. 568. Respectu motus et quietis. 415 ad 416. Respectu veneris usus. 416 ad 417. 568. In podagrae paroxysmis, respectu cibi et potus quantitatis ac qualitatis, tum exercitii. 418 ad 421. 568. Ubi *ἀκμὴν* suam attigit morbus, ob paroxysmi, primo insultu, atrocitatem, exercitium, caeterum adeo salutare, vetatur; et decubitus in

lecto, ad certum tempus, una cum tenui diaeta requiritur. 420 ad 421. Quandonam vero, in podagrae inveteratae paroxysmo, a lecto abstinendum, ut mors vitetur; molestiam potius vectationis sustinendo, et dolorem, amarissimum licet naturae remedium, ferendo. 420 ad 421.
Podagra inveterata diarrhoeam excitat, si materia in artus non eliminatur; quomodo tum occurrendum. 421 ad 422.
— a cathartico, etiam leni, accersitur. 496. 497. Minitans vero tum paroxysmus, ob purgantia data, Laudano reprimitur: hocque nondum animadverterat auctor, cum tractatum de podagra scriberet. 407.
— per metastasin aliquando, licet raro, materiem morbi in pulmones deturbat, cujus caussa tussis brumalis, ex frigore in paroxysmo suscepto: in quo casu nulla podagrae habenda ratio, sed morbus tamquam peripneumonia curandus, sudores, hic nocuos, caute vitando. 422. 569.
— retrocessa quomodo cognoscatur. 498 ad 499. Et quomodo a periculo inde imminente se liberaverit auctor. 499. Retrocessio hujusmodi materiae morbosae periculosa admodum. 94.
— scorbutum quandonam mentiatur. 242.
Podagricis cogitationes nimiae admodum obficiunt. 308 ad 309.
Podagrici plures, indebita medicatione, quam ipso morbo, fuere perempti. 423.
Pompa remediorum in moribundis saepe male collocatur. 279.
Porrigo seu furfur capitis. 560.
Porrigines in lue venerea, vid. crustulae.
Possetum, vid. Zythogala.
Potatio nimia in gonorrh. virul. recidivam quando producat. 292.
Potatores hydropici, aliis frequentius, fiunt. 430.
Potio cardiaca in variolis, ubi symptomata ex nimio frigore vel evacuationibus indebitis. 134.
— purgans auctoris. 47. 505.
— purgans in colica biliosa, aliis anteferenda. 179. In febrib. continuis. 47. In febre nova hyemali. 463. Quando iteranda. 463. Ad subducendam materiem revulsam. 452. Quando iteranda. 453. In hydrope, pro robustis in quibus alia non operantur, una et altera. 434. Simul calefaciens inter purgandum et corroborans alia. 435. Purgans et vomitum ciens. 435 ad 436.
— vid. haustus.
Potter capitaneus Londini cortice peruviano occisus. 263.

Potulentorum, in podagrae regularis paroxysmo, tertia pars tantum per vesicam redditur. 387.

Potus in dysenteria qualis. 155. Frigidus in dysenteria qualis. 155. 158. In febre dysenterica. 164. In hydrope conceditur ab auctore ad libr. unam sem. vel libr. duas singulis diebus. 441. In hysterica adfect. puerperarum a nimio mensium fluxu. 377. In podagra optimus, qui non nimis vinosus nec nimis aquosus, ut cerevisia tenuis Lond. lupulata vel non; vel aqua cum vino, praesertim in mitiori. 409. 411. In podagra vehementiori et provectiori, omni spirituositate careat, et potus diaeteticus propinetur. 411. Hicce palato, quantum fieri potest, gratus fiat. 411. Adpetitui plus favet aliis liquoribus. 411. Et hoc commodi habet, quod illi, qui eo utitur, concedat liberiorem in caetero victum, quam si vino vel cerevisia uteretur. 411 ad 412. In tussi epid. 1675. absente febre, etc. 212. 215. In variolis anom. temperans et salivationem promovens, qualis. 174. 177.

Praeputio si glans contegitur, vid. glans.

Praxis medica unica vera in observatione operationum naturae fundatur, h. e. indicationes ex ipsis morborum phaenomenis elicit, dein experientia firmat: ut fuit Hippocratis illa. 274. 275. Lapis lydius eorum, qui medicinam profitentur, est. 436. Apud plurimos auctores ad postulata quaedam ex hypothesibus et lascivientis ingenii luxuriis deducta, non ad rei veritatem componitur. 285.

— — in variolis, eruptionis tempore, ubi de caloris gradu adplicando agitur, in incerto ac lubrico loco constituitur. 122.

— — vid. medica praxis, vel medicina.

Prognosis, in variolis, mortis vel vitae pendet a multitudine vel paucitate exanthematum. 310. Ratio hujus. 310. 311. Dein *προγνωστικὸν* in variolis confl. raro fallax, et bonum, ex tumore faciei et manuum salivationi subsequente desumendum. 115.

Prostatae in gonorrhoea virulenta adeo tempore adficiuntur, ut in cadaveribus efferato ulcere depastae repertae fuerint. 288.

Protuberantiae, in rheumatismo, ad digitorum internas potius, quam externas, partes excitantur. 239.

Pruritus ferinus quomodo curandus. 246. 247.

In pruritu ferino sudor, omni mane qua ratione provocandus. 247.

— — venaesectio, ante remediorum usum, quare exigatur. 247.

Ptisana in peripneumonia notha, pro potu. 237.
— in pleuritide essentiali, pro potu. 232.
Ptyalismus, vid. salivatio.
Pueri, senes, juvenes diuturno morbo confecti, venaesectionem in febribus vitent; et quare. 36.
— podagra non adficiuntur. 392.
Pueris febribus intermitt. laborantibus calidiora exhibere periculosum. 75.
Puerperae apoplexia hysterica, quandonam frequenter satis adficiantur. 342.
— teneriores lecto decumbentes, quidnam emolumenti inde habeant. 374.
Puerpera tenerior et vaporibus obnoxia, ante diem decimum e lecto se non contineat. 374. Si nimis cito surgat, hysterica adf., ex qua lochiorum suppressio, cum diris et letalibus symptomatis adficitur. 373 ad 374. Vix decima moritur, ex defectu virium vel ex doloribus, a partu; sed inde plerumque, quod e lecto cito nimis surgat. 374.
Pulsus in febre nova hyemali sanorum non absimilis. 451. 461. Languidus et inordinatus, si male tractetur. 452. Qualis, ubi phrenitis adest, et mors instat. 462. In hypochondriaca vel hysterica adfectione similis sanorum est, utut strangulari videantur. 349. In variolis confluent. die undecimo vix percipitur, adeo obruitur a pure sanguis. 332.
Pulvis adstringens in mictu sanguineo et sputo sanguineo in variol. confl. 492.
— cardiacus in languore febrili. 45.
— ex cortice peruviano in febr. interm. cum vino rubro, aliis modis anteferendus. 264. Nec obest vinum, licet ad continuarum speciem vergant. 266.
— patrum, vid. cortex peruvianus.
Pulvis pyrius inventus non letalior fuit hominibus, quam malignitatis verbi inventio. 481.
Punctura tendinis dolorem duodecim horas post venaesectionem modo infert, qui circa axillas praecipue reperitur, tumore vix majore avellana suborto; ex orificio interim ichore effluente, quod primarium signum. 234. 558. Quomodo curetur. 558.
Purgantia quaelibet naturae quare inimica dicantur ab auctore. 431. Vel mitissima quoque tumultum plerumque in corpore excitant. 77. Repetita saepius, in adfectibus fere quibuslibet, praesertim in imbecillibus et infantibus,

plurimum obficiunt, et tumores in infimo ventre horum excitant. 358. Facilius vel difficilius operantur, pro corporis idiosyncrasia; quare cautus sit semper medicus de aegri corporis ad cathartica ferenda aptitudine, vel ineptitudine; nam hujus neglectu hypercatharses a levioribus etiam purgantibus quandoque obortae. 432. Si correctiva dicta admista habeant. catharsis redditur laboriosior. 297. Leniora in robustis aliquando plus praestant, quam validiora: sic etiam aliquando teneriores homines fortissimis purgantibus aegre cedunt. 432. Post venaesectionem omnium maxime refrigerant. 478. Paregoricis viam sternunt. 478. Et iis adjuvari possunt. 475.

Purgantia in angina lenitiva quandonam, post venaesectionem exhibenda. 248. Et quandonam in posterum diem rejicienda. 248. Cum chalybe et chalybeatis, vel ipsorum usus tempore. quare non exhibenda. 358. conf. 363. In chorea sancti Viti. 469. 532. Quoties et quando repetenda. 469. et 532. conf. 470. In cholera morbo damnantur. 148. In chronicis morbis ante usum roborantium vel digestivorum exhibenda. 405. Et ubi semel corroborantia et digestiva adhibentur, non intercalanda. 405. In colica hysterica, quandonam. 186. In colica biliosa quando. 178. Ad tertiam vicem nonnumquam repetenda. 178. Quandonam augenda. 179. In febricitantibus coma quomodo inducant; illudque paregoricis exhibitis amolitur: quod si auctori in mentem antea venisset, non enemata tantum, sed ipsa purgantia, in febre comatosa an. 1675., ausus dare fuisset. 463. In comate febrili, calefacientibus excitato, nocent. 467. Purgantia et venaesectio alternatim iterata contusiones tutissime curant. 425. Corticis peruv. 73. In diarrhoea, qualia. 156. 537. In dysenteria, et quoties iteranda. 154. 155. 537. Ultra tertiam vicem methodo auctoris raro exigebantur. 156. Quandonam usum Laudani praecedere debebant; et quando non. 160 ad 161. Post febres autumnales magis, quam post vernales necessaria; et quare. 47. In febribus continuis quando, et quare tempestiva. 46 ad 47. In febre dysenterica. 164. Quoties instituenda. 164 ad 165. — in febre epidemia quacumque non exhibenda in principio statuve morbi, nisi venaesectione praemissa: quod probe observandum. 464. In febre nova epid. post venaesectionem quare, et quandonam iteranda. 463. 464. Et hic non nocent, ut quidam putant, sed requiruntur, quia post venaesectionem propinata, summe refrigerant, et narcoticis

viam sternunt. 478. In febre erysipelatosa qualia esse debeant. 245. Et quale paregoricum aliquando, hora somni, insuper exhibendum. 245. 523. In febribus intermittentibus diabetem senibus quandonam inferebant. 269. Febres intermittentes, in infantibus ac aetate florentibus, longiores ac pejores reddunt. 74. 261. Provectiores aetate in mortis periculum conjiciunt. 74. Et indebite celebrata febres intermitt. vernales prolongant. 64. Non nisi certa conditione, in febr. intermitt. autumnalibus tentanda. 71. Post febres interm. autumn. penitus sublatas, nec ante, ut periculosiores insecuturi morbi, praesertim in provectioribus aetate, vitentur, necessaria admodum. 76. et vid. 80. Eadem vero prius exhibita morbum contumaciorem reddunt: et quare. 76 ad 77. et 79. Hydropem quoque accersunt; neque eum natum tollunt. 78. Exhibenda proin tantum mense uno elapso, cum scilicet non modo paroxysmi, sed etiam ea alteratio, quae diebus iis, in quos incidere debuerat paroxysmus, persentiscitur, prorsus evanuerint. 77. Qualia, quo tempore, quibus intervallis adsumenda; quoties repetenda. 77. Si per corticem peruvianum curatae fuerint, non exhibenda, quin inde recidiva fiat. 268. In pestilentiali febre post venaesectionem et diaphoresin, qualia exhibenda. 104. In febre quartana aeque fere nocent ac venaesectio; non tamen usque adeo, nisi crebro repetantur. 71. Qualia post febrem scarlatinam. 228. In febre stationaria. 516. 517. Sudoriferis mista, ante paroxysmum exhibita, in tertian. autumn. commendantur. 72. Sudoriferis in tertiana duplici non admiscenda, et quare. 72. In febre ex tussi male tractata nata, per tres dies instituta sufficiebant. 276. In gonorrhoea virul. remedia sunt, in quibus curationis omnis cardo vertitur. 291. Hydragoga prae caeteris conducunt. 290. Diu continuanda; si enim nimis cito relinquantur, reperta mane adhuc gutta ichoris in summitate colis, redibit morbus. 291 ad 292. Si ab aegro sumi nequeant, vel si iis pertinaciter refragatur, facile lues oritur; et quomodo tunc succurrendum. 292. conf. 293. Post luem salivatione sublatam, quamdiu vitanda. 301. In haemorrhagia narium quandonam exhibenda. 250. 556. Lenientia nisi exhibeantur, post haemorrhagiam immodicam, recidiva metuenda. 54. In haemoptoë, praesertim repetita, tabem inferunt. 251. Hydragoga dicta in iis, qui aegre purgantur, vix aliquid efficiunt; et si aucta dosi exhibentur, tumultum sanguinis promovent et plus au-

gent; hinc, ut bene operentur, leniora cathartica iis admiscenda. 433. 434. Per *ἐπίκρασιν* quae agunt, in hydrope, tumorem potius adaugent, quam minuunt. 432. In hydrope prae caeteris morbis, validissima requiruntur et celerrima; ut aquae maxima celeritate, quam aegri vires ferre queant, exantlentur. 432. et 432 ad 433. Quae vel segnius vel mitius operantur quare officiunt magis quam prosunt. 431. Hinc curationis cardo in hydrope pendet ab exacta inquisitione, num aeger facile, num difficile catharticis cedere soleat. 431. 432. Fortiora et nimis moventia, justo debilioribus sunt praeferenda, quia Laudano occurrere hodie certo possumus. 432. Singulis diebus exhibenda; et quas ob caussas. 433. Nonnumquam vero dies unus aut alter intercalari potest. 432. 433. Varia plura. 546. 547. Duo palmaria, pro iis qui aegre purgantur, caeteris *δραστικώτερα*, sunt Elaterium et infusio Croci metallorum. 435. Ubi per roborantia vel et lixivialia curamus, exquisite vitanda: revocant eadem illico jam recedentem tumorem. 446. Frequentiora in hystericis id modo efficiunt, ut materiae biliosae viridis uberior enascatur seges; et quare. 350. Hystericam adf. saepe invitant, ubi contrarium foret, si ejus fomes in materia aliqua involveretur. 354. conf. 350. In initio quare et quando. 355. 356. In leviori specie omittenda. 362. In hystericae adf. paroxysmo, ubi dolor urget, post venaesectionem quandonam instituenda, ante usum Laudani. 369. 370. In iliaca passione fiunt emetica. 58. 178. 474. Licet fortissima, intestina non permeant. 474. In ileo vero non exhibenda prius, quam roborato ventriculo, quin alias emetica evadunt. 58. In ileo ex torminibus ventris, in febre epid. nova, fortissima exhibenda, quaenam. 475. Si evomantur, paregorica prius exhibenda. 475. Ope paregoricorum retinentur, et operationem suam deorsum sistunt, licet paradoxon videatur. 475. Pro infantibus optima, quae ex Rhabarbaro cum cerevisia. 476. 477. In lue venerea quare non exhibenda ad corpus pro salivatione praeparandum. 296. In mictu sanguineo a calculo, post venaesectionem. 495. In nervosis adfectibus repetita, saepe congrua; ut in chorea sancti Viti. 468. In peripneumonia notha post venaesectionem crebriora, praesertim ubi haec reiterari non debet. 236. 520. Quo die iteranda. 237. In peripneumonia vera non conducunt. 237. In phrenitide, ante narcotica assumenda. 51. In phrenitide a calefacientibus inducta, nocent. 467. In pleuritide sym-

ptomatica ad finem. 215. In pleuritide vera post venaesectionem. 233. In podagra cur empiricis quibusdam, eadem celantibus astute, existimationem conciliarunt cum damno aegrorum. 397. Ad materiam morbi ejiciendam neutiquam conducunt. 394. 395 ad 397. Sed materiem ab articulis intus repellunt, et morbum retrocedere faciunt. 395. 396. Hinc podagricos laedunt. 405. Adeoque nec in paroxysmo, nec post eum, neque ante ipsum, neque vere vel autumno exhibenda. 396. Paroxysmum saepe accersunt, etiam lenia, nisi Laudanum insuper adsumatur; tum non nocent, ut tempore observavit auctor. 496. 497. Inter venaesectiones exhibenda, quando metastasis materiae ad pulmones adest. 422. Exhibenda quoque Manna, ubi mictus sanguin. adest. 497. 566. In rhachitide ex febre autumnali qualia esse debeant? non vero nisi febre fugata exhibenda, et quare. 79. In rhachitide vera quandonam locum habent. 359. In rheumatismo qualia. 281. 521. Post diem octavum ab ultima venaesectione qualia exhibenda. 241. Post tertiam venaesectionem, saepius iteranda, ut sanguini parceretur, et paregoricis locus daretur, satius fore, quia tum ab his non figitur morbus, auctor tempore didicit. 280 ad 281. Post salivationem mercurialem, in lue venerea, non exhibenda, quia recidivae caussa esse possunt. 298. 299. In tussi convulsiva puerorum, quomodo juvent. 273. In tussi epid. 1679. continuanda, donec aeger convalescat. 272. 276. In tumore abdominis infantium nimis repetita, horum plurimos interfecere. 359 ad 360. In tumoribus abdominis infantium, post febres intermittentes diuturniores indicantur. 79. In tumoribus abdom. infantium ex rhachitide vera, non nisi semel vel bis, ante usum alterantium admittantur. 359. In variolis, initio an conducant. 120. Et quid mali producere possunt. 120. Sanguine nondum inquinato, variolas distinctas reddunt. 316. In variolis anom. 207. Post variolas confluentes curatas. 335.

Purgantibus aegre (292) salivatio etiam mercurialis aegre plerumque instituitur. 300.

Purgationis omissio post morbos autumnales, plus quam ulla caussa, multorum morborum fons est. 47.

Pus in sanguinem quomodo resorbeatur et febrem excitet. 313. Post pleuritidem essentialem thoracis cavo quando recondatur. 229. In variolis in sanguinem copiose regurgitans, in fine morbi suffocat. 315.

Pustula in gonorrhoeae virul. initio, dein in ulcus aphtho-

sum abiens (a Shanker, 287) in non recutitis, quomodo incipiat et procedat. 288. conf. 289.
Pustulae in febre erysipelatosa non vulgari, urticarum puncturas referunt. 245. In vulgari adparent, ac si apes aut vespae aculeis suis laesissent, et aliquando in vesiculas attolluntur. 244.
Pustulae variolarum, ubi semel eruptae, rite sustinendae. 121.
— variolosae, si maculas purpureas interspersas habent, letale. 116.
— in variolis, paucae omnem salutis spem constituunt; et e contra. 310. Hujus ratio. 310. 311. Ergo non propellendae, ut densae sint, cum ab horum numero discrimen pendeat, sed potius coërcendae. 311. Intempestive autem et nimio opere prodeuntes, quot malorum caussae. 317. Profusissimae vero fiunt; vel propter naturam aegri calidiorem; vel ob calefacientia intempestiva; vel propter in lecto decubitum nimium et praematurum. 311. conf. 314. Ne copiosae nimis fiant quomodo praecavendum, aëre liberiore etc. 314. 315. 320. Ex frigore nimio flaccescere solent. 205. Decubitus etiam nimius eas pejores reddit. 125. In infantibus saepe non prodiere, quia epileptici adfectus discretas praecedere soliti, pro essentialibus adfectibus, evacuantium ope fuere tractati. 322 ad 323.
— in variolis anom. nigris confluent. an. 1670., initio ab erysipelate vel et morbillis vix, nisi eruptionis die, aliisve signis discernebantur. 173. Pustulae nigrae augebantur pro ratione calefacientium, et contra. 217. Materiem eructant nec flavam nec fuscam, sed rubro saturato concretum sanguinem imitantem. 173.
— — — — an. 1674. nigredine fuliginem aequabant, et perpusillae erant, ubi numerosae. 202.
— — — discretis an. 1670. quomodo ab iis generis discreti regularium disterminabantur. 172. Nigrae itidem fiebant diebus ultimis. 172. 173.
— — — an. 1674. paucae ubi erant, non erant minores quam in aliis generibus, et rarissime nigrae. 202. 204.
— in variolis regularibus subflavum colorem naturaliter habent. 116. Nigredinem, quod symptoma anomalum est, in summitate aliquando habuere; sed hae regiminis temperati ope, sensim per fuscum in subflavum colorem transibant. 116.
— — — confluent. an. 1667. naturaliter quales; et quid de iis dicendum habuerit auctor, vide 111 ad 113. Co-

piosiores futurae, quod patet ex facie, primis diebus, ad instar pulveris e limatura acicularum undique respersa, praedicunt mortem die vel undecimo, vel decimo quarto, vel decimo septimo, involaturam, utut aeger et sibi et adstantibus belle habere videatur. 311. Majores in manibus ac pedibus, quam reliquo corpore; et quo plus ab extremis distant eo minores. 113. Causticam qualitatem, unde cicatrices fiunt, si regimine temperato tractantur, non induunt. 130. Crustis factis halitus putridos a materia purulenta in sanguinem retropellunt. 126. Deprimuntur naturaliter, nec mali quid hoc portentat. 134. Sed tamen ignaros deterret, qui etiam in distinctis variolis augmentum exspectant ante diem, non gnari temporis, quod natura destinavit; unde natus rumor de crebra pustularum retrocessione. 134. Depressio ex frigore vel evacuationibus indebitis, quomodo superanda. 134.

Pustulae in variolis discretis an. 1667. magnitudinis pisi grandiusculi fuere. 110. Maturescentes, die octavo in facie ex laevibus atque rubris asperiores evadunt et subalbidae, et tandem magis flavae: ubi in manibus et reliquo corpore progressu maturationis minus asperae, et albae magis, conspiciuntur. 109. 110. Desquamatione in facie et reliquo corpore, disruptione vero in manibus, abeunt. 110. Post mortem aegri, quandonam elevantur adhuc et rubescunt. 115. 131. Repercussae ex frigore, vel evacuationibus indebitis, qui tractandae. 134.

Pustulas, in variolis, decubitus nimis pejores reddit. 125.

Putrefactiones humorum ultra modum retentorum, ut et fermentationum varia genera, classem unam caussarum universalium, morbos producentium, constituunt. 21.

Q.

Quaestio, qui morborum medela administrabitur, dum eorum caussae latent? solvitur. 88.

Quartanae febres, vid. febres quartanae.

R.

Rationis momenta adeo varia et subtilia, ut theoria quaecumque plausibilis, iis innitens, a quodam pulchre stabilita, ab alio, tumque iterum ab altero, majoris adhuc verisimilitudinis specie, invertatur; quod tamdiu fiet, donec ultima humani ingenii potentia consummata sit. 483.

Recidiva in dysenteria, reiterationem methodi auctoris expetit. 158.
Recidiva febris, notatu digna, post usum clysterum et catharticorum, quae febrem prius quasi profligaverant. 44 ad 45. Quid tum agendum. 45.
– in febr. intermitt. cortice peruviano curatis, ab evacuantibus, catharticis, enematis, inducta. 268. In febribus quartanis post corticis peruviani usum rarior, quam in quotidianis ac tertianis. 267. In gonorrhoea virul. ex decocto lignorum saepe fit. 295.
Recutitus seu verpus qui non est, gonorrhoeae virulentae initio, saepe maculam vel pustulam, instar morbilli erumpentis, in glandis quadam parte habet, in ulcus mutandam, a Shanker dictum. 287. 288.
Refrigerans summum est catharsis post venaesectionem. 478.
Refrigerantia in morbis acutis quid efficiant boni. 216 ad 217. In febribus malignis proprie conducunt, licet ibi errantes medici per calefacientia et alexipharmaca sua, venenum suum, ita dictum, per cutis poros eliminatum velint. 481. In phrenitide instante, ut et calefacientibus inducta. 466 ad 467. In podagra, ut liquores refrigerantes, quare vitanda. 410. Externe adplicita periculosa. 423.
Regimen calidum, et sudoris provocatio, in febre variolosa licet prodesse posse videantur, tamen, docente experientia, nocent. 140. Methodo auctoris plane oppositum, licet cum eo aliquando resurgant aegri, magnum infert discrimen, et symptomata vehementer auget. 141. Sudores extorquens phrenitidem inducit. 136. Saepe symptomata producit, post sudores extortos nascentia, quae morbi malignitati falso adscribuntur. 139.
— — in variolis quomodo noceat. 314. Quam mala symptomata in constitut. 1674. producebat. 205.
— — — vide calefacientia et cardiaca.
— calidius in variolis tempore expulsionis, quid efficiat, vide calefacientia.
— temperans et refrigerans in febre variolosa videtur auctori methodus prae caeteris optima. 141. Ptyalismum adjuvabat. 142. Non metuendum, quamvis sudores copiosi adsint. 140.
— — in variolis confluent. symptomata duo pessima, mictum sanguineum et maculas purpureas antevertit; quae duo ni praecaveantur, ubi jam adsunt, non curantur. 314.
— minus adcuratum, in variolis, plebi quam divitibus, illi variolas aequiores reddit, quam his. 127.

Regimen in variolis quale conducat vel obficiat, non ex opinionibus, sed ex practicis observationibus deduci tantum debet. 318 ad 319.

Regula, in variolis, venaesectioni et evacuationibus quam objiciunt, a circumferentia ad centrum non esse movendum, nullius est; et quare. 120.

Remedia, vide medicamenta.

Remediorum seu formularum ingentem sylvam quare non tradat auctor. 17.

— formulae in praxi magis familiares. 505 ad 507.

Renes dolore quonam, nascente calculo, sensim adficiantur. 494.

Repellentia in podagra, externe adplicita, periculosa. 423 Quid mali praestent. 421.

Res 6 naturales peccantes corpora nostra ad hujus illiusve morbi epidemii generationem non minus ac manifestae aëris qualitates magis minusve disponunt. 25. Qui morbi tum varii exoriuntur pro constitutione anni et humorum dyscrasia. 224. conf. 225.

Respiratio in pleuritide essentiali metu tussis ab aegro reprimitur. 229.

Rhachitides verae rarius occurrunt, nisi intermittentes autumnales ex constitutione epid. praedominium habeant, quod notatu dignum. 80.

Rhachitis vera, ejus curatio. 555. Post febres autumn. nata, qualis; ejusdemque curatio. 79.

— quomodo curanda una aut altera purgatione, linimentis, vino et cerevisia medicatis. 359.

Rheum-barbarum in dysenteria sine alio purgante leni exhibitum, quare non conducat. 154. Cum cerevisia in infantibus purgans optimum. 476. Quomodo paretur. 477.

Rheumatici dolores nimium a lecto in febribus epid. abstinendo, praesertim in declinatione oriri possunt, et quid tum agendum. 194.

— — quidam pro scorbuti symptomatis habentur, incautis. 241.

Rheumatismus omni tempore, sed maxime autumno, incessit, et aetate florentes praecipue adficit. 238. Hic morbus a scriptoribus sicco pede tractatus; vel quod eum pro arthritide habuerint, ubi sine febre adparebat, licet examinanti multum differre constet: vel quod de novo ad reliquam morborum Iliada accesserit. 238 ad 239. Frequentissimus nihilominus est, et licet, febre depulsa, raro occidat, tamen ob dolorem insignem et diuturnitatem notatu dignissimus. 239. 520.

Rheumatismus inflammatoriam caussam agnoscit, ut patet ex argumentis. 239 ad 240. Ex frigore subitaneo post calefactionem plurimum oritur. 238. A calore lecti intenditur. 240.

- incipit cum febre ejusque symptomatum caterva. 238. Quae sensim evanescens manente dolore, saepe recrudescit, et quando. 238. Febris pro morbo primario habenda; et reliqui adfectus, a quibus nomen mutuatur morbus, tamquam symptomata, quae a materia febrili, a modo criseos, a parte in quam materia ruit, pendent. 223.

— non eodem vigore, febre depulsa, sed, adinstar arthritidis, subinde lacessit. 239. Et licet tum mortem quidem non inferat, quare tamen non contemnendus. 239. conf. 520.

— protuberantias in digitorum interna potius, quam externa parte excitat. Et membra motu omni, cessatis jam doloribus, saepe ad mortem usque privat, digitorum articulis inversis. 239.

— sponte saepe tandem desistit. 239.

— podagram in feminis gracilioribus adolescentibus, vel constantioris aetatis aliquando mentitur. 392.

Rheumatismus verus quomodo curandus. 239 ad 241. 278 ad 281. 521. Indicationes curativae. 240. Venaesectio in latere adfecto illico instituenda. 240. A sola venaesectione curationem sumi debere censebat auctor. 240. 278. Quoties haec iteranda, et quando. 240. 521. conf. 241. Calefacientia exhibita venaesectionis frequentioris caussa esse possunt. 240. Enemata e lacte saccharato diebus a venaesectione liberis inficiebantur. 241. 521. Medicamenta incrassantia, refrigerantia, et simile regimen, nec non diaetam adaequatam ex decoctis farinosis, jusculis carneis tenuissimis commendabat. A lecto de die per aliquot horas abstinendum volebat. 240. Sed vidit tempore auctor hujus methodi per venaesectiones frequentiores incommoda. 278. 279. Hinc eam mutavit. 278. Et per diaetam tenuem, ut serum lactis, curare cum successu tentat in quibusdam. 278 ad 279. Sed in aliis post secundam, vel ad summum tertiam venaesectionem jam cathartica et insuper paregorica exhibet. 280 ad 281. Et sic incommoda a venaesectione praecavet. 279. 281.

In rheumatismo paregorica quodam tempore vetabat auctor, utut saeviret dolor, si per venaesectionem solam curatio expetebatur, quia, ut putabat, morbum figebant; hincque venaesectionem frequentiorem postulabant, neque in vigore

morbi *ἀναλγησίαν* promissam praestabant. 240 ad 241. 281. Hinc ipsa non nisi octo diebus elapsis, post cathartica, sed lenitiva, exhibita propinabat; et quare. 241. Verum, ubi methodum mutavit, citius paregorica quoque exhibere jubet, ubi citius cathartica exhibentur. 281.

In rheumatismo dolores venaesectione imminuti, non tamen omnino evanescunt; sed tantum ubi vires resarcitae: maxime aestate subsequente. 241. Verum si aeger perversa methodo forte tractatus, tum dolores vagi, per omnem vitam saepe, aegrum discruciant, qui incautis scorbuti symptomata habentur. 241.

— — inveterato venaesectio iterata, fontanella, et spiritus volatiles, cum vino canarino omni mane et sero adsumti, curationem absolvunt: sed longius spatium inter venaesectiones reiterandas est interponendum. 243. Venaesectione illa iterata morbus hicce eruitur, vel eo deducitur, ut aliis facile curetur. 243.

Rheumatismus scorbuticus quidam datur, licet inter verum rheumatismum et scorbutum discrimen intercedat; et quare ita vocetur. 243. Describitur cum sui differentia a vero rheumatismo. 243. Protuberantias tales ac verus in partibus raro excitat. 243.

— — feminas prae reliquis adoritur, tum viros imbecilliores. 243. Hinc fere videtur species adfectus hysterici, sed hystericis remediis non cedit. 243.

— — corticis peruviani longiori usui ortum saepe debet, sed superabilis est. 243. 261.

— — chronicorum praecipuorum adinstar, in diuturnitatem longam aliquando se protrahit. 243.

— — quomodo curandus. 244.

Risus ex hysterica adf. sine ulla saepe caussa. 345. 352.

Roborantia, et cardiaca, in febrib. intermitt. autumn. ad naturam sublevandam, quando, et cur, conveniant. 74.

— in hydrope eadem sunt, quae in podagra, paucis additis, tradita. 444. Quando et quare conveniant. 444. In hystericae adf. curatione, post evacuantia dentur; inter haec primarium chalybs. 356 ad 360.

Rosa, in igne sacro occurrens, quid vocetur. 89.

Rubedo, in variolis, in interstitiis pustularum, instar rosarum Damasc. octavo die incipiens, bona; si cito recedit, malum. 110. 115.

Ructus nidorosi, in podagrae irregularis paroxysmorum intervallis, vexant. 389.

Rumor de variolarum retrocessione crebra, unde ortus. 134.

S.

Sal Absinthii cum succo limonum, ad vomitum, in ileo vero. 57 ad 58.
— Genistae in hydrope. 443.
Salia lixiviosa, in hydrope, ad diuresin movendam prae caeteris optima. 443. Nec refert ex quo vegetabili. ibid.
Saliva in variol. confl. viscida est undecimo die. 113. Quibusnam tum succurrendum. 132. 530. Cardiacis dictis praepropere incrassatur ita, ut pernicies inducatur. 320. Vid. salivatio.
Salivatio, in hysterica adf. similis ac ex Mercurio. 351 ad 352. In febre dysenterica raro juvabat, uti in febre variolosa solebat. 161. conf. 141. Febrem variolosam, uti ipsas variolas, placide solvere solebat. 141. Et maculae purpureae hac ope evanescebant. 141. Quomodo hic sub finem morbi excitatur. 136. Estque hic critica excretio; cujus defectu, nisi aliam ars suggerat, ad aliquot septimanas perseverat morbus. 137. Numquam non salutaris quoque hic; hinc, ubi adest, cavendum a venaesectione et enematis. 141 ad 142. Aliquando, per ipsam naturam, in diarrhoeam vel in sudores profusos pervertebatur. 137.
Salivatio mercurialis, in lue venerea confirmata, omnem numerum absolvit, juxta Sydenhamum. 296. Sed gonorrhoeam non valet sanare. 301.
— quomodo instituenda. 297 ad 303. Ad praeparandum corpus, catharticis, balneis, venaesectione non indiget; et quare. 296. Sustinetur melius, si nihil prius agatur, quam si evacuantibus, ante proelium, quasi incisi sint nervi. 296 ad 297. Quonam unguento fricandae partes ad eam excitandam; et quaenam fricandae. 297. 299 ad 300. 551.
— — quomodo et quando incipiat a frictione. 297. Et, si non procedat, qua ratione per Turbith minerale provocanda. 297. 299. 551. Antequam bene adsurgat, saepissime oritur diarrhoea, quae opiatis reprimenda. 298. Difficulter in iis, qui difficulter purgantur (292), excitatur. 300. Et non nimis obstinate tum urgenda, quin dysentericae dejectiones modo fiant, aliaque horrenda symptomata. 300. Quomodo tum procedendum. 300.
— — certis gradibus modificanda, ne aegrum in periculum conjiciat; et ad quamnam copiam evehenda. 297. 551. Lintea, ubi permutanda. sint prius usitata. 297. Si violenta nimis, cathartico reprimenda paulum. 299. 551. Si

languescat nimis cito, quomodo Mercurio dulci exstimulanda. 297. 298. 299. 551. Ubi per diarrhoeam enervatur, quid agendum, ut revocetur. 298. 551.
Salivatio mercurialis, diaetam qualem exigat. 302. 303.
— — convalescente aegro, non cito cohibenda, sed leviter sustinenda. 298. Et oris post eam exulceratio sibi tantum concedenda. 298. Vide os exulceratum.
— — methodo auctoris instituta, vario de nomine expeditior, itidem minus periculosa, recidivae minus obnoxia. 303.
Salivationis mercurialis effectu qui debilitati et exhausti, in Galliam cur saepe migrare cogantur. 302.
Salivatio in variolis anomalis confluent. an. 1670., major erat adhuc, quam aliis. 173.
— — — — discretis an. 1670. adfuit aeque ac in confl. in hac specie. 172. Quid inde concludatur. 172.
— — — — nigris pessimis an. 1674. itidem salutaris adfuit. 208. Hic vero, ante undecimum diem, sine periculi metu quomodo sisti poterat. 206.
— — — regularibus confluentibus, in adultis symptoma genuinum, non minoris momenti, quam pustulae ac partium tumor, est; et semel tantum ipsam abfuisse novit auctor. 113. Harum individuus comes esse debet; et quare. 313. 528. Et certius vexat adultos, quam diarrhoea infantes. 113. 128. 528. Omnino non sistenda, sed naturae committenda. 129 ad 130. Eliminandae quippe materiae morbificae inservit. 129 ad 130. Est enim in iis e praecipuis naturae evacuationibus, et in locum istius, quae per pustulas majores in discretis contingit, substituitur. 128. conf. 113. Et in tuto aegrum ponere solet. 115.
— — — — prodit eruptionis initio, aliquando post. 113. 128. 528. Cessat, vel saltem, saliva spissa facta, minui et decrescere incipit undecimo die, licet adhucdum utcumque perduret. 113. 115. 128. 129. 331. 528. Sed tumore faciei ac manuum compensatur. 113. 115. 128. 330. 331. 528. Ubi integre cessat, faciei quoque evanescit tumor, manus tum intumescunt. 113, Aliquando, sed raro, postquam cessavit, recrudescit. 113.
— — — — ne sistatur ante diem undecimum, cavendum; periclitatur enim tum aeger et quare. 128. 115. Si desinit sponte sua, undecimo die, neque facies intumescit, aut ejus loco manus intument, aut hi tumores ejus vicem subeuntes, evadunt, moritur aeger. 115. Quibusnam vero cum symptomatis. 115 ad 116. Promovenda ce-

revisiae tenuis et liquorum temperantium usu. 128. 133. Sustentanda narcoticis, prae aliis quibuscumque. 128. et 175. A paregoricis licet parum imminuatur, tamen non penitus cessat, sed, intervallis ab adsumto anodyno remotis, melior resurgit; tum quia vires aegri restaurantur; tum quia hoc modo melius saliva excoquitur. 330. Protrahenda narcoticorum itidem ope, quod aliquando ad diem decimum quartum, et ultro fit. 129. Supprimitur calore nimio, calefacientium usu, et abstinentia a liquoribus sanguinem diluentibus. 128. et 174 ad 175. Tum a pure resorpto quoque sistitur. 313. Revocanda, si justo citius suppressa, itidem narcoticorum ope. 128. Suppressa ex salivae visciditate, ut aeger in suffocationis sit metu, emeticum juvare solet, et fortius. 133. Tamen certius in hoc casu adhuc medium desideratur. 133.

Salus in variolis pendet ab exanthematum paucitate; et e contra. 310. Ratio hujus. 310. 311.

Sanguinea massa repurgatur ordinario in humano corpore, si naturae negotium permittitur, spatio 336 horarum, h. e. dierum 14 aut circiter. 68.

Sanguinis jactura major apoplexiae speciem puerperis hystericis aliquando infert. 342.

— refrigeratio major quibusnam inducatur. 49.

Sanguis spirituum fons et origo. 355. Per se imbecillior in pueris. 36. Spirituum copia destituitur in decliviore aetate, atque in juvenibus diuturno morbo confectis. 36.

— purus in dysenteria quando. 151.

— in pleuritide vera, venaesectione eductus, instar sevi liquati spissus, in superficie quasi purulentus, post primam saltem venaesectionem. 230. 519. E secta vena si recto flumine, ob orificium angustius, non prosiliat, cur cuticulam albam non contrahat, ignorat auctor. 230. Et tum hujusmodi sanguis eductus levamen non infert ac aliter. 231. Recens extractus, digito si agitetur, crustam illam tenacem, albam non contrahit. 231.

— pleuriticorum sanguini venaesectione educto similis, respectu cuticulae albae, reperitur in dysenteria inveterata. 160. In febre epid. const. 1673. ad 1675., in initio. 190. 192. In febre erysipelatosa plerumque semper. 245. In febre nova hyemali. 451. 461. 463. In febre pestilent. 99. et 101. In haemorrhagia narium. 250. In peripneumonia notha. 235. In pestiferis; ubi simul colorem sanguinis pleuriticorum et rheumatismo laborantium quoque habet. 101. In podagra. 410. 413. 422. In rheuma-

tismo, ubi tam similis ac ovum ovo. 240. In variolis confluent. ante eruptionem. 333. Post variolas confluentes. 335. Post variolas vehementiores. 135. In febre contin. epid. 1665., a pleuriticorum sanguine differebat. 84.

Sanitas ex febre, ubi natura vi sua materiam morbificam superans, critice eam norit solvere. 22.

Sarsaparilla, in lue venerea curanda, evacuando forte potius, quam vi specifica agit. 15. 92.

Scientia intuitiva non datur, qua fretus principia quis queat substernere, quibus mox superstruat: sed humanae naturae abjectior conditio intra angustos cognitionis, quam de quinque sensibus haurire potest, limites coarctatur. 439. et 450.

Scioli, in speculationibus spem omnem ponentes, majorem edunt stragem, quam morbi eorum auxilio destituti. 274.

Scorbutica symptomata nonnumquam vocantur dolores a male curato rheumatismo superstites. 241.

Scorbutus non tam frequenter apud nos occurrit, ac quidem vulgo putatur; hoc enim si foret, in immensum cresceret, et omnem fere morborum numerum absolveret. 241 ad 242. Verum istius nomine plurimi donantur adfectus, qui vel morborum fientium effecta, vel infelices reliquiae morbi non perfecte curati tantum sunt. 242. Dein illa, quam saepe medici scorbuto adscribunt, diuturnitas morborum, ipsorum tantum perversae curae debita. 48.

— quaenam habeat symptomata. 563.

— quibusnam curetur. 563 ad 564.

Scorbutus ubi desinit, ibi incipit hydrops, vulgaris regula quomodo accipienda. 242.

— aliquando febris quartanae symptoma est. 65.

Scrobiculus cordis in variolis dolet fere semper. 108.

Scroti inflammatio et tumor in gonorrhoeae virulentae adfectione oritur, vel a motu violentiori. 289. 295. vel ab adstringentibus, quorsum referuntur aquae minerales. 289. 294. Curatur fotu emolliente, cataplasmate, catharticis, et refrigerantibus; tum et venaesectione, si tumor et dolor urgent. 295 ad 296.

Senes, in febribus interm. catharticis debilitati, saepe in paroxysmi primo vigore diem obeunt. 74. Morbis chronicis quare junioribus magis obnoxii. 404.

— in podagra, sine exercitio, numquam levamen obtinent;

sed a materia inconcoctili, eorum naturam viribus superante, tamquam a veneno enecantur. 420.
Senes et senescentes febrem quartanam difficile ferunt. 65.
— juvenes diuturno morbo confecti, et pueri venaesectionem in febribus vetant. 36. Et quare. 36.
Serum lactis in dysenteria frigide adsumitur, et tepide per clysma injicitur, constitutionis 1669. et 1672. initio. 158. 538. In febre variolosa, diarrhoea vexante, usu veniebat. 141. Ptyalismum quoque hic promovet. 142. In rheumatismo magna copia usurpatum, loco venaesectionis, praesertim adeo frequentioris, substituit auctor. 278. Sed in iis, qui aetate provectiores, vel qui vino et spirituosis potati, nocet multum ac hydropem infert. 280.
— — in morbis pluribus quam rheumatismo, venaesectionis loco substitui posset, ni obstarent praejudicia vulgi, quod remediorum pompa decipi vult, qua ipsos moribundos, ceu bestias immolandas, ornari cupit. 279.
— — dysenteriam curavit exhibitum in lecto, cum determinatione ad sudores, per 24 horas. 158.
A Shanker ulcusculum est in pudendis ex lue venerea, primum morbi indicium. 287. In quibusnam contingat, et in quibusnam non. 288.
